



1548

IHS

Archivo de Loyola

Sección 3.^a Serie 2.^a N.º 112

Est. 13.

Plut. 5.

DIONYSSII
CARTHUSIANI

Archivo de Loyola

Estante

Plúteo



~~n 3449 112~~

3 Vltima $\frac{c}{5}$



D. DIONYSII

CARTHUSIANI IN EVANGELIUM MARCI ENARRATIO PRÆCLARA ADMODUM, EX ALTERA EAQ; DILIGENTISSIMA AD ARCHETYPON RECOGNITIONE, REPURGATIS MENDIS QUIBUS SCATEBAT PLURIBUS, QUAM DILIGENTISSIME EXCUSA, CUI INDEX CONTENTORUM PRÆFERTUR.



PARISIIS.

Venalis est apud Iohannem Maceum è regione
Diui Hylarij sub scuto britanico.

1548



INDEX VERBORUM QUAE PRAECIPUE
habentur in enarratione Euangelij
Secundum Marcum.

A.	
Alabastrum unguenti	21.e
Alteritas effigiei quomodo facta in Christo	25.b
Anathematizare quid	22.c
Angeli tres apparuerunt in monumento Christi	24.d
Angeli apparerunt merito in for- ma iuuenili	ibid.b
Angelus in splendida veste ap- paruit tribus de causis.	ibidem.c
Aspectus Christi in caelum.	13.a
Azima quid	21.c
B.	
Barthymaeus quid	17.f
Boanerges quid	9.b
C.	
Caecum Christus successiue cu- rauit quem potuit in instanti perfecte curare	14.a
Centuplum accipe	17.d
Christus qua virtute in caelum ascendit	27.c
Christum federe a dextris dei, quomodo intelligendum.	27.d
Cur daemones tot bona de Christo dixerunt	9.a
D.	
Dalmanutha & magedan lo- cus binonius	13.e
Daemonia quomodo quis spi- ritualiter eiiciat	26.f
Daemones quomodo esse cum hominibus cupiunt	10.c
E.	
Eiectio vendentium & emen- tium de templo mirabilissi- mum Christi opus	18.d
Epheta quid	13.b
Extrema unctio defunctorum fuit ante passionem a Chri- sto instituta	11.c
F.	
Figuraliter per hominem se- minantem intelligitur Chri- stus	10.a
Fidei perfectamagna vis.	15.b
G.	
Gazophilacium	19.f
H.	
Homo quomodo dicatur om- nis creatura	26.a
Hora tertia & sexta dicitur Iesus crucifixus	23.a
I.	
Ingemuit Christus in sanatio- ne surdi & muti	13.b
Incredulitatis nomen quomo- do accipiendum	15.c
Iudaei quamlibet magnam a- quarum congregationem no- minant mare	8.2
Iudaei dies septimane a sab- bato denominant	24.f
Iudicium particulare & uni- uersale	21.a
L.	
Lacus quid significet	19.c
a ij	Leon



I N D E X

Leonius Marcus cur comparatur	3. b	Per hominem peregre proficiscentem Christus intelligitur	20. e
M.			
Mala quomodo permittit Christus	9. f	Qualiter ira fuit in Christo	8. c
Miracula prohibentur manifestari	10. f	Quare à Iohanne baptizatus est Christus	5. b
Mirabilissimum operum Christi	18. d	Qui prohibitus est ab apostolis ne in nomine Iesu Christi eiceret demonia an fidem haberet	16. a
Mons oliueti ubi ibidem a Mortiferum sine nocimento bibere quomodo quis spiritualiter dicatur	27. b	R.	
N.			
Nardus quid	21. e	Ratio quare mulieres exentes de sepulchro fugerunt	24. e
Nemo salubriter orat nisi qui opera sua pro posse conformar peritioni	18. e	Refectio quid	21. f
Non exigere poenam quandoque perinde est meritum atque eam omnino remittere	19. a	S.	
Nouissime, quomodo interpretatur	25. d	Sal offerri in omni sacrificio in lege iussum fuit	16. d
Nouis linguis quomodo quis spiritualiter loquitur	27. a	Sal pro homine discreto	3. a
Numerus maior minoré includit	19. a	Sapientis officium	3. a
O.			
Offensa seu culpa & poena, qualiter indulgenda	18. f	Super agros manus imponere & eos sanare, quis spiritualiter dicatur	27. b c
Oratio vera	ibidem. e	Serpentes tollat quis ibidem	27. b c
P.			
Parasceue quid	23. e	T.	
Pax charitatis effectus	16. f	Testis falsitatis aut confirmator erroris deus esse non potest	26.
Praelatis salubre exemplum datur à Christo	15. d	Recta palestinae regionis	7. f
Persecutiones inter praemia assignantur	17. d	V.	
		Vinea synagoga dicitur	19. b
		Videre seipsum quid	20. e
		Vinctus quare in festo paschali dimittebatur	22. e

FINIS

D. DIONYSII

CARTHUSIANI IN EVANGELIUM MARCI ENARRATIO.

PROLOGVS.

Multitudo sapientum, sanitas est orbis terrarum, Sapientis quippe officium est, omnia ordinare, tenebras ignorantiae ab intellectu audientium propulsare, vitiorum quoque caliginem, quibus vulneratur ac infirmatur natura creata, ab affectu fugare. Sapiens igitur sanat habitates in terra à vulneribus animarum, quae ad aeternum inducunt interitum: idcirco hortatur scriptura, Cum videris tentatum, statim euigila ad illum. Theophrastus enim desiderabilis in ore sapientis, & vir eruditus suavis est animae suae. Inter excellentissimos aut vere ditunitus reuelatae sapientiae professores, doctores, atque scriptores ritè ac dignè collocatur beatus Euangelista Marcus, cuius hoc loco elucidandum est euangelium: qui licet ceteris Euangelistis breuior sit in verbo, tamen sententiis par est: qui in prophetica visione Euangelistarum praefiguratiua, merito designatus est per leonem. Primò, quoniam à clamore Iohannis in deserto exorsus est scribere. Secundò, quoniam circa Christi resurrectionem & ascensionem specialiter immoratur. In resurrectione autè suscepit Christus regnum atque imperium, vel potius imperialis regni executionem ac manifestationem, quae per leonem regem brutorum significantur. Fuit insuper Marcus principis Apostolorum in Baptismate filius, in Christiana doctrina discipulus, in sermone interpres, de quo Petrus, Salutat vos (inquit) ecclesia quae est in Babylone collecta, & Marcus filius meus, Dum igitur cum sancto Petro Romae resideret, rogatus à fratribus scripsit euangelium sicut à Petro imò à spiritu sancto didicerat, scriptumque Petro obtulit corrigendum, quod Petrus diligenter examinans, omnique veritate plenum re-

a iij pericens

Eccle. 16. B Prou. 31.

1. Pet. 5.



Operiens approbavit fidelibus tradidit sua auctoritate legendum, quemadmodum Clemens testatur. Post hæc Marcus Aquilegiensem & Alexandrinam fundavit ecclesiam, habuitque in Alexandria Aegypti tantæ perfectionis discipulos, ut Philo eloquentissimus Iudæorum editor libri sapientia illorum sanctitatem summe admirans, de eorum laudibus scripserit librum. Fuit autem Marcus ex Iudaismo conversus, Leuiticus genere & sacerdos. Et sicut ipse in sua descriptione euangelij studuit breuitati, sic & ego in expositione eius facturus sum, præsertim cum penè omnia verba eius, in Matthæi Euangelio contineantur, iamque exposita sint. Propter hoc vtriusque expositionem colligendam institui, ut quæ hic cursorie dicuntur, in Matthæo plenius requirantur.

CAPVT PRIMVM.

Initium sancti Euangelij Iesu Christi filij dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sanctus Euangelista præmittit operi suo prologum quædam breuissimum qui finitur ibi, Fuit Iohannes in deserto baptizans, ibi enim inchoatur narratio. Ait ergo, *Initium Euangelij, id est, exordium bonæ annuntiationis, in qua annun-*

ciatur salus æterna, & promittitur regnũ cælestis, id est, euangelicæ legis, & Christianæ doctrinæ, Iesu Christi filij dei, id est, tractantis de Iesu Christo, imo & dati ab eo, qui est filius dei nõ adoptiuus, sed naturalis. Christus enim est primus & principalis magister euangelicæ veritatis, & de ipso tractat euangelij ab Euangelistis conscriptum. Itaque initium huius euangelij, hoc est, id à quo euangelij descriptionem incipio, est Sicur scriptum est, id est, quod scriptum est In Esaiâ propheta Sicut enim interdum significat similitudinem, & interdum denotat veritatem, ut hoc loco, Ecce ego mitto angelum meum, hoc est, Iohannem præcursorem qui angelus, id est, nuntius appellatur, & propter sui officij dignitatē, vitæ perfectionē, & cõtemplationis altitudinē merito angelus dictus est, nõ quod superioris esset naturæ, & seu angelus incarnatus, ut dixerunt heretici Ante faciẽ tuã id est, ante te & ante tuã declarationē, seu tuę præsentij manifestationē ð Christe, videlicet

Malac. 3.
Esa. 40.
Mat. 3.
Lucæ. 3.

videlicet ut te annuntiet & ostendat hominibus. Hæc enim A verba allegantur hoc loco in persona dei ad Christum loquentis. *Qui preparabit viam tuam*, hoc est, actus bonos, seu opera virtuosa dispositiue inducet in cordibus Iudæorum, per quæ intras corda hominum. Per talia enim disponuntur mētes humanæ ad Christi receptionem, qui secundum Apostolum per fidem habitat in cordib⁹ nostris *Ante te* hoc est, antequam ingrediatis corda humanæ: vel ante te, id est, in conspectu tuo, & coram te, teque præsentem. Per hoc enim quod Iohannes Baptista docendo, baptizando, mōstrādo, ac protestando disposuit, populum Iudæorum ad Christi notitiam preparauit Christo ingressum ad animas Iudæorum.

Ephes. 3.
Iohan. 2.

Denique doctrina atque baptismus Iohannis fuerunt quæ B dam præparationes doctrinæ & baptismatis CHRISTI quoniam per baptismum & doctrinam Iohannis disponebatur Iudæi ad recipiendum doctrinam, & baptismum domini saluatoris, Potest ergo & ita exponi, qui preparabit viam tuam ante te, id est, ad tuam doctrinam, ac baptismi receptionem: desponet suos auditores. *Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius*. Hoc totum in Matthæo diligenter & prolixè expolitum est.

Mat. 3.

Sed quæstio oritur, quomodo Marcus dicat hoc testimonium in Esaiâ descriptum, cum prima pars eius scripta sit in Malachia, & altera in Esaiâ? Ad hoc doctores catholici diuersimode respondent. Hieronymus enim putat nomen Esaiæ scriptorum vitio additum Alii dicunt, quod Marcus breuitati studēs, nomen Malachię omisit, eo quod vltima pars huius prophetię habeatur in Esaiâ, & quoniam Esaias principalior fuit, res autē à fine & à principaliori nomē sortitur. Sed verè & indubitanter dici potest quod tota iam allegata authoritas in Esaiâ habetur quantum ad sensum, licet quod ad tenorem verborum prima pars eius in solo Malachia cõtineatur. Vnde Marcus in lege & prophetis etiam humano studio ante suam conuersionem eruditus, nomen & verba Esaiæ commemorans, verba Malachiæ interserit tanquam declaratiua verborum Esaiæ, Quis enim est angelus dei ante Christum missus, & viam eius aduentui preparans, nisi Iohannes, vox clamantis in deserto, parate viam domini?

Malac. 3.
Esa. 40.
Hierony.

Malac. 3.

Insuper queritur, cur Marcus ita allegat, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, &c.* cum in Malachia sic scri-



ptum sit, Ecce mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam: dicendum quod Christus & Apostoli atque Euangelista frequenter allegant scripturas veteris testamenti, potius quo ad sensum, quam formam verborum. Sic nunc efficit Marcus, nec discrepat quod Marcus allegat a predictis verbis Malachiae, sed omnino redit in idem, quia per faciem dei patris vno modo intelligitur Christus. Nam sicut per faciem res ipsa cognoscitur ac monstratur, sic per filium cognoscitur & ostenditur pater. Item, quia ad quemcunque venit filius, venit & pater: sicque Iohannes parando viam Christo paravit viam & patri. *Fuit Iohannes in deserto, Iudaeae trans Iordanem, Baptizans.* Sicut enim nascendo & praedicando Christi nativitatem & praedicationem, sic & baptizando Christi baptismum praevenit, servans ubique suae ordinem praecursoris, *Et praedicans baptismum penitentiae, id est, baptismum Christi ordinatum ad agendum penitentiam, baptismum (inquam) valentem, In remissionem peccatorum,* quia per Christi baptismum diluuntur peccata. Praedicavit autem Iohannes baptismum Christi cito futurum, quum dixit, Ego vos baptizo in aqua, ille vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Veruntamen ipse Iesus non baptizavit generaliter, sed discipuli eius. De hac materia multa tractata sunt supra in Matthaeo, idcirco praetermitto. *Et egrediebatur ad Iordanem, videlicet ad Iohannem tunc existentem circa Iordanem, venit enim a deserti latibulis ad ripam Iordanis ut populum baptizaret, Omnis Iudaea regio, id est, omnes habitantes in regione Iudaeorum, hoc est quidam de omnibus. Et Hierosolymite universi, id est, habitatores Hierusalem. Ita distributio intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut sit hyperbolica loquutio: iuxta quem modum ait Apostolus, Omnes quae sua sunt quarunt, non quae Iesu Christi. Et baptizabantur ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua in generali non confessione sacramentali, prout eodem confessio ponit novae legis sacramentum. Et erat Iohannes vestitus pilis camelis. Quod hic de vestitu & victu Iohannis inducitur, scriptum atque positum est in Matthaeo. Et praedicabat dicens, venit fortius post me utpote Christus, virtus & sapientia patris, de quo ait Psalmista, Dominus virtutum ipse est rex gloriae. Hic venit post Iohannem, quonia sicut natus est de virgine post Iohannem, sic etiam coepit se manifestare, docere,*

Mat. 3.
Luc. 3.
Iohan. 1.
Iohan. 4.
Mat. 3.

Psal. 23.

cere, & miracula facere, post inchoationem praedicationis A Iohannis, *Cuius non sum dignus procumbens, id est, ante eum inclinans, seu procidens, Solvere corrigiam calceamentorum eius, id est, in re corporali, exteriori & minima ei servire propter incomparabilem eius excellentiam super me. Omnia ista plenius elucidata sunt in Matthaeo. Ego baptizavi vos aqua corpora ablucendo, non animas a vitiis expurgando, quia baptismus meus non confert nec continet gratiam, Ille vero baptizabit vos spiritu sancto, id est, in suo baptismo gratiam spiritus sancti intus purgantem vobis infundet, dummodo volueritis credere in eum: sicte enim accedentibus non infunditur gratia. In baptismo imprimitur tamen character, propter quod non rebaptizabantur, quoniam fictione cessante, baptismus B consequitur suum effectum. Et factum est in diebus illis, venit Iesus a Nazareth Galilaeae ad Iordanem, & baptizatus est in Iordane a Iohanne non quia indiguit, sed ut omnem impleret iustitiam, ut humilitatis daret exemplum, ut aquis vim regenerationis praestaret, & Iohannis baptismum confirmaret, nobisque maximam gratiam mereretur. Et confestim ascendens de aqua Iordanis vidit caelos apertos, & spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Hoc tam de Christo, quam de Iohanne intelligi potest, uterque enim simul exiit de aqua Iordanis, tuncque ambo viderunt caelos apertos, & spiritum sanctum in forma columbae super caput Christi descendere atque manere. Et vox de caelo facta est, id est, ab angelo loquente in persona dei patris in aere seu caelo aereo. Tu Christe, Es filius meus dilectus, in te complacui De hac C perbenedicta trinitatis apparitione in Christi baptismo, & quomodo intelligenda sit caelorum apertura, aliisque notabilibus praesentem concernentibus locum introducta sunt plura Iohan. 1. Mat. 3. Iohannis in Matthaeo, Et statim post receptionem baptismi, Spiritus sanctus Expulit, id est, prompte ac fervide movit, & duxit, Eum scilicet Christum in desertum CHRISTVS namque secundum assumptam humanitatem in omnibus promptissime atque celerrime obediit instinctui spiritus sancti, tanquam plenissimus septem donis spiritus sancti per Rom. 8. quae redditur anima bene mobilis a spiritu sancto: iuxta illud apostoli, Quicumque spiritu dei aguntur, hi sunt filii dei, & ad hoc insinuandum euangelista ait, expulit eum. Et erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tataba*



Dicitur à Satana. Hoc totum in Matthæo expositum est, Eratq[ue] cum bestiis eremi quæ ei nocere non poterant, Et angeli ministrabant ei Tanquam superiori ac domino maiestatis, sicque rationalia, & irrationalia ei subiecta fuerunt. Per quod ostenditur duplex in Christo natura, pura humana ac diuina. Quod enim cum bestiis versabatur, humanæ naturæ fuit humilitas: quòd verò ab angelis honorabatur, diuinæ extitit maiestatis indicium. Postquam autem traditus est Iohannes, id est, ab Herode captus & incarceratus. Venit Iesus in Galilæam prædicans generaliter & publice Euangelium regni dei, id est, doctrinam nouæ legis, in qua annuntiat regnum cœlestis, qua etiam sua obseruatione introducit ad illud.

Sciendum, quòd ante incarcerationem Iohannis, Christus collegit quosdam discipulos, prædicauit, & miracula fecit prout Iohannes Euangelista testatur, tamen quoniam prædicatio Iohannis præparatoria fuit ad Christi prædicationem, propterea non prædicauit publicè, & cõmuniter nisi post traditione Iohannis, ideo Marcus loquitur, ac si **C H R I S T V S** prædicationem suam incepisset post comprehensio[n]em præcursoris, Et dicens, Quoniam impletum est tempus, hoc est, plenitudo temporis iam aduenit in quo pater me misit filium suum, & tempus gratiæ à prophetis prænuntiatum nunc adest: unde in Actis ait Petrus, Omnes prophete à Samuele & deinceps annuntiauerunt dies istos, Et appropinquabit regnum dei id est, ianua regni cœlestis per meam passionem cito aperietur, & sempiterna hereditas tribuetur electis, Penitentibus,

Fid est, de peccatis vestris compungimini & dolete, Et creditis Euangelio, id est, Euangelicæ prædicationi ac legi, quam vobis propono. Et prateriens Iesus circa mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius. Hoc loco describit euangelista, vocationem quatuor Apostolorum ad Christi discipulatum, videlicet Petri & Andrææ, Iacobi & Iohannis, patetq[ue] sententia ex his quæ in Matthæo præhabita sunt. Hic tamen additur vnum verbu[m], quòd ibi nõ ponitur, vtpote Cum mercenariis, & est sensus, quòd Iacobus & Iohannes reliquerunt patrem suum Zebedæum & mercenarios, id est, eos qui pro mercede eum iuuant in opere piscationis. Et ingrediuntur Iesus eiusq[ue] discipuli Capharnaum urbem in Galilæa præcipuam, in qua **C H R I S T V S** ad tempus habitauit, & in principio suæ prædicationis multoties docuit signaque fecit

Statim

Iohan. 7.
Galat. 4.
Acto. 3.
Psal. 4.

Statim sabbatis, id est, die sabbati quo Iudæi maxime concurrebant ad audiendam lectionem legis, & prophetarum. Ingressus in synagogam, id est, domum in qua Iudæi ad orandum & audiendum verbum dei confluebant, loquitur autè de synagoga in Capharnaum consistente Docebat eos, id est, Iudæos concurrentes, Et stupebant, id est, multum mirabantur, Super doctrina eius cuius subiungitur ratio, Erat enim docens eos quasi potestatem habens, hoc est, valde potenter, & efficaciter loquens, corda audientium compungens, & excitans, quasi ignea proferens verba, suamq[ue] prædicatione[m] cõfirmans miraculis, Et non sicut scribae, qui docebant, & non operabantur, habentes folia sine fructibus, foris perstreperes & intus parum aut nihil proficientes. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, id est, possessus à damone. Et clamauit damon per os hominis à se obsessi, Doluit enim de saluari doctrina **C H R I S T I**, & se expellendum expauit. Quid nobis & tibi Iesu Nazarenè? id est, cur accessisti ad nos qui tecum communionem nullam habemus neque ad te pertinemus? Venisti perdere, id est, vincere Nos? nostram potestatem frangendo, & peccatores saluando, & nos expellendo atque ad inferos retrudendo, Scio quia sis sanctus dei, id est, sanctus sanctorum, & **C H R I S T V S** in lege promissus, per excellentiam sanctus vocatus, de quo Daniel, Vngatur (inquit) sanctus sanctorum. Et in Psal. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Denique quomodo damones, & Iudæi nouerant Iesum esse **C H R I S T V M**, an scilicet certitudinaliter, an coniecturaliter, sæpe tractatum est in Matthæo. Non enim damones hoc sciebant certitudine absoluta ac stabili, quemadmodum nec Iudæi: poterat tamen diaboli hoc certius agnouisse quàm homines, imò & certitudinaliter hoc sciuerunt, nisi diuina dispensatione fuissent prohibiti, vt **C H R I S T I** passio impleteretur. Et cõminatus est eis Iesus, dicens, Obmutescite, hoc est, ne amplius perhibeas testimonium mihi. Cum enim sim veritas, testimonio tuo non egeo: quu[m] sis mendax, & verax, praua intentione profaris, vt falsa mitcendo decipias, Et exi ab homine isto. Et discerpens, id est, corporaliter atfligens, Eum spiritus immundus. Vnde in Luca legitur, quòd proiecit eum in medium, nam inuitus exiuit, Et exclamans voce magna quasi victus, Et violentiam passus, tristissimusque effectus,

Lucæ. 4.
Marc. 16.

Daniel. 9.
Psal. 15.

C



Dicitur, exiit ab eo, Et mirati sunt omnes qui aderant, non solum in opere miraculoso, sed & in modo operis, Ita ut cōquererēt, id est, simul inter se quærerent, inter se dicentes, Quidnam est hoc? non enim viderant simile fieri ab exorcistis Iudæorum, Quæ est doctrina hæc noua, id est, prius inaudita & documentis legis ac prophetarum perfectior, quæ confirmatur prodigijs tam imperiosis, Quia in potestate, id est, magna & propria autoritate seu verbo imperiali non adiutorio Spiritus immundis imperat. Et obediunt ei. Videntur isti plura ponere pro singulari. Nou enim viderunt, nisi vñ obsecrum sanari, sed eadem virtute qua videbant vñ à Iesu sanatum credebant, & alios posse ab eo sanari. Et processit rumor, id est, fama eius statim in omnem regionem Galilææ. Et protinus egredientes Iesus & eius discipuli De synagoga, venerunt in domum Simonis & Andree, cum Iacobo & Iohanne. Intrauit Iesus ad suos familiares amicos & notos ad paulandum & reficiendum Decumbabat autem, id est, iacebat. Socrus Simonis, id est, mater coniugis Petri Febricitans. Et statim dicunt ei, id est, Christum rogabant De illa, id est pro curatione ipsius. Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius, & continuo dimisit eam febris, id est, subito curata est, Et ministrabat eis, de isto miraculo dicta sunt plura in Matthæo. Vespere autem factò, scilicet cum occidisset sol, Afferebant ad eum omnes male habentes, id est, infirmos loci illius. Audita enim curatione dæmoniacy, & socrus Petri, conceperunt fiduciã, quòd Christus cæteros omnes infirmos sanare posset ac dignaretur, Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam, domus in qua extitit Iesus, id est, multi de ciuitate: iuxta cõmunẽ modum loquendi. Diuersi enim ex diuersis causis confluxerunt, quidam ex curiositate propter nouitatem gestorũ, quidam ex necessitate, quidam ut pro suis infirmis rogarerent, quidam ut tantorum signorum operationem vidererent, vel eius doctrinam audirent. Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus. In Matthæo habetur, quòd omnes infirmos adductos curauerit. Vnde sensus est, Et curauit multos, id est omnes sibi oblatos, qui fuerant multi, Et dæmonia multa eiciebat ab obsessis, solo verbo seu imperio, Et non sinebat ea loqui, id est, non permisit dæmones dicere, Quoniam sciebant eum, hoc est, quòd noscerent Iesum esse Christum, secundum modum notitiæ iam expressæ. Eisdem autem rationibus

Mat. 8.

tionibus prohibuit hoc istis dæmonibus, quibus & dæmoni A de quo paulo ante facta est mentio. Et diluculo valde surgens contra eos qui diu dormiunt. Iustus enim cor suum tradit ad Eccl. 3. 9. vigilandum diluculo ad dominum, Egressus de ciuitate Abiit in desertum locum, docens post perpetratiõẽ miraculorum, & sermocinationes præclaras fugere laudes humanas, hominumque aspectum Ibiq; orabat ad designandum, quòd locus solitarius aptissimus est ad orandum, quanuis ipse nullo exteriori poterat ab vnione interna cū deo impediri, sicut nec aliquo modo poterat adiuuari, vnde quòd gratia orationis totiens solitudinem petiit, pro nostra vtique fecit instructione, vt & nos ita agamus. Et profecutus, id est, propè secutus Est eum Simon & qui cum eo erant, id est, discipuli alij, decuit nanque, vt magistrum mente & corpore sequerentur. Et cum inuenissent eum in loco orationis, in quo se paululum elongauit ab eis, Orans patrem suum in abscondito, Dixerunt ei, Quia omnes de quibus dictum est, Quærunt te, animarum & corporum incorporabilem medicum & efficacissimum sanatorẽ, nempe (vt dictum est) ob diuersas causas querebant & cõcurrerant ad eum Et ait illis, Eamus in proximos vicos & ciuitates, eundo de distantia in distans per media, & de loco ad locũ ordinate, Vt & ibi predicem. Ad hoc enim veni per incarnationem in mundum, videlicet vt omnibus ouibus perditis domus Israël sine personarum acceptione verbum salutis proponam. Et erat predicans in synagogis eorum, hoc est, proximorum ciuitatum, Et omni Galilæa & dæmonia eiciens, Consequenter in speciali describitur curatio vnus leprosi propter magnitudinẽ deuotionis suæ ac fidei. Deuotio enim & fides leprosi ostendebantur in hoc, quòd genu flexo dixit ad Iesum, Si vis, potes me mundare. Porrò miraculũ istud & expositio eius, descripta sunt supra in Matthæo. Aliquid tamen hic aditur, scilicet, A ille id est, leprosus, id est, à Christo curatur cui preceperat Christus vt nemini diceret, gratiam sanitatis sibi collatæ Egressus à Christo Capit predicare & diffamare, hoc est, diuersimode promulgare Sermonem, id est, narrationem de sua curatione, non tamen inobediens fuit, quia ex dilectione & deuotione Christi hoc fecit. Christi autẽ præceptum intelligẽdum erat, ne ex vanitate & sine ratione ad iactantiam faceret hoc, vel secundum alios Christus precepit, vt

Mat. 6.

Mat. 8.

pit, vt



Dicitur, ut taceret vsque dum ostendisset se sacerdoti, & postea dicere potuit. Ita ut non hoc est, vix vel difficulter Posses le- sus Manifeste in ciuitatem introire propter multitudinem sibi occurrentem, & eum comprimentem vicissim Sed foris in desertis locis esse, poterat tamen Christus omnia secundum suam absolutam potentiam, sed Euangelista loquitur secundum exteriorem apparentiam, & solitum modum loquendi Et conueniebant ad eum vndique diuersis ex causis, vt dixi.

CAP. II.

Et iterum intravit in Capharnaum post dies octo

ARTICVLVS. II.

Iterum intravit Iesus Capharnaum post dies octo. Et conuenerunt multi, ita vt non caperet, hoc est, contineri & capi seu stare non possent, Neque ad ianuam domus in qua exiit Christus: sed aliqui ipsam domum introierunt. Et lo-

quebatur eis verbum vite eterne. Consequenter describitur curatio paralytici, de qua plenius dictum est in Euangelio sancti Matthaei, idcirco nunc celerius pertransibo. Et venerunt viri aliqui Ferentes ad eum, hoc est, ad Iesum Paralyticum qui a quatuor portabatur vna cum lecto in quo iacuit Et cum non possent offerre, id est, praesentare eum paralyticum illi, scilicet Christo Prae turba, quoniam propter turbam non poterant per ianuam ingredi domum in qua docuit Christus, Nudauerunt tectum ubi erat, id est, tectum domus illius ascenderunt & facta illic apertura, per regulas deposuerunt lectum cum languido, vnde nunc subditur, Et praefacientes, id est, tectum illud aperientes Submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat. Tecta enim in locis illis plana fuerunt, habueruntque ianuam qua ad ea ascendebatur per quam aliqui dicunt lectum fuisse submissum cum paralytico isto. hoc quia tamen hic dicitur, quod nudauerunt tectum, & Lucas quoque ait, quod per regulas submiserunt infirmum, magis apparet, quod in ipso tecto nouam fecerunt aperturam. Caetera quae hic de isto miraculo recitantur, patet ex his quae in Matthaeo dicta sunt. Hic tamen dicitur, quod Iesus cognouit spiritu suo cogitationes scribarum, & potest per spiritum Christi intelligi spiritus sanctus, de quo ait Apostolus. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius: cuius vniuersae spiritus virtute & gratia Christus vt homo agnouit cogitationes

Mat. 9. Luca. 5.

Luc. 5.

Mat. 9.

Rom. 8.

tiones vniuersorum, & potest quoque per spiritum Christi A intelligi intellectus anime eius, quo omnia praeterita, praesentia & futura cognoscit. Et egressus est rursus ad mare, quod currit per galileam Iudaei autem quamlibet magnam congregationem aquarum nominat mare: quem loquendi modum seruauerunt Euangelistae. Et cum praeterires loca illa, Vidit Leui Alphaei, id est, Matthaeum filium Alphaei. Mat. 9. 2. theus enim alio nomine dictus est Leui, Sedentem ad telonium. Porro quae subiunguntur hoc loco de vocatione Matthaei & punctis annexis, dicta atque exposita sunt in Matthaeo. Deinceps Marcus describit disceptationem discipulorum Iohannis & pharisaeorum cum Iesu, & iitera patet plenissime ex his dictis quae in Matthaeo dicta sunt. Et factum estigitur cum ambularet Iesus sabbatis per sata. Hic Euangelista commemorat quomodo Iesu ambulante per agros seminatos & blada portantes, discipuli eius fame compulsi spicas sumperunt & comederunt, quo viso pharisaei increpabant Christum. Quicquid autem hic scribitur de hoc facto, supra expositum est in Matthaeo. Sed quare dicitur quomodo Marcus dicat, ipsum Dauid intrasse domum dei sub Abiathar principe sacerdotum, cum in libris Regum legatur, id factum sub Achimelech pontifice? Et respondendum, quod iste Abiathar fuit filius Achimelech, succedens ei in sacerdotii principatu, & patre eius viuente, egit interdum vices ipsius, ideo Dauid dicitur introisse domum dei sub eo.

CAP. III.

Et introiit iterum in synagogam

ARTICVLVS. III.

Einde recitat Euangelista, quomodo Christus sanauerit hominem, cuius aruit manus, & planus est sensus huius loci ex his quae in Matthaeo dicta sunt. Et circumspiciens Iesus eos, id est, incredulos Iudaeos ac Pharisaeos, Cum ira per zelum cum moderato appetitu vindictae propter iniuriam deo illatam, vel saltem cum vultu irae precurrente Fuit autem in Christo ira per zelum, quae tamen actu rationis in ipso nullatenus perturbabat, quia in ipso vna quaeque potentia anime exercuit actum suum

Gene. 1.

Mat. 9. 2.

Luc. 5. 2.

Mat. 9. 3.

Mat. 12. 1.

Luc. 6. 1.

Mat. 12. 2.

1. Reg. 21.

Matt. 23.



Esa. 42.
Prou. 12.

Luca. 6.

sum, non impediendo alterius actum potentia, in aliis tamē
ira etiam quæ est per zelum, turbat aliquoties oculum men-
tis, quoniam anima circa actum vnius potentia multum in-
tenta, & occupata, impeditur in actu alterius potentie. Hec
autem ira mansuetudini non repugnat, cuius est passionem
iræ ordinare, sed ira per vitium *Contristatus super cecitas-
te cordis eorum*, misericorditer condolens eis, fuit ergo in
Christo tristitia virtuosa ex charitate & pietate descendens
quia errantibus compatiebatur. Fuit quoque in eo passio tri-
sticie moderata ac naturalis, quia inferior pars amice eius se-
quebatur partem superiorem. Quod autem in Esaia de Chri-
sto inducitur, Nō erit tristis nec turbulētus, intelligendum
est de seculari, carnali, & inordinata tristitia, quæ nō cadit
in virum perfectum, quemadmodum Salomon contestatur,
Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. *Exeuntes
autem pharisei cum Herodianis*, id est, militibus Herodis,
vel (vt alij dicunt) cum his qui putabant Herodem esse Chri-
stum, *Consilium faciebat, quomodo illum perderent*, id est,
qualiter Iesum occiderent. *Et Iesus cum discipulis suis se-
cessit ad mare*, dans locum furentibus, *Et dixit discipulis
suis, vt nauicula sibi deseruaret*, id est, nauem sibi adduce-
rent, eamque intraret, & stare in mari iuxta ripam, *Pro-
pter turbam*, stantem & accurrentem in terra. *Ne compri-
merent eum*, in quo ostendit se verē fuisse passibilem, atque
sæpe ad tempus vitasse incommoda corporis, vt tempore
diuinitus præstituto pateretur. Et quanuis poterat turbæ
pressuram sine læsione & pœna sustinere per viam mirabi-
liter noluit tamen humanum subsidium deuitare, vt veri-
tatem assumptæ naturæ ostenderet, *Multos enim sanabat, ita
vt irruerent in eum, vt illum tangerent*. Nam virtus exibat de
illo, sanabatque omnes. *Quotquot autem habebant plagas,*
id est, varias infirmitates, *Et spiritus immundi*, id est, dia-
boli in obsessis. Vel, spiritus immundi, id est, obsessi adæ-
monibus. *Cum videbant illum procidebant ei*, sponte vel co-
acte, reuerentiam exhibendo: & si aliqui languidi talem in-
firmitatem habebant, quod ante suam curationem se coram
Iesu prosternere non valebant, tamen sanitate recepta, hoc
facere poterant, *Et clamabant dæmones per obsessos. Di-
centes. Tu es filius dei*, hoc coniecturaliter asserabant, non
cum certitudine cōstanti & absoluta. *Et vehementer commina-
bantur*

datur eis, ne manifestarent illum, id est, ne vltra dicerent co-
ram populo Iesum esse Christum si ium dei: cōtēmpsit enim
testimonium dæmonum, propter causas introductas. ¶ Sed
cur dæmones dixerunt tot bona de Christo? Dicendum,
quod coacte vel malo fine, & ob alias causas quas non est fa-
cile excogitare, & forte, vt eius passionem impediunt, sciē-
tes quod nunquam crucifigerent dominum gloriæ ipsi Iudæi, si
eum agnoscerent. *Et ascendens, Iesus in montem, vocauit ad se
quos voluit ipse*, id est, quos præ aliis ad hoc elegit, videlicet
quosdam ex discipulis, *Et venerunt ad eum in montem*,
Et fecit vt essent duodecim cum illo, id est, duodecim aposto-
los fecit sibi specialiter adherere, vt essent sibi quasi colla-
terales, familiares & proximi, *Et vt mitteret eos predicare. Et
imposuit Simoni nomen aliud (scilicet) Petrus*, quod interpre-
tatur firmus siue obediens principalis, *Et Iacobum filium Ze-
bedæi, & Iohannem fratrem Iacobi vocauit, Et imposuit eis no-
mina Boanerges, quod est filii tonitruū*, propter altisonam &
efficacissimam predicationem ipsorum, & quia in transfigu-
ratione Christi audierunt, vel potius audituri erant vocem
patris dicentis, Hic est filius meus dilectus. Huiusmodi e-
nim vox appellatur tonitruū, eo modo quo scriptum est in
Iob, *Quis poterit tonitruū magnitudinis eius intueri?* Hæc
autem mutatio nominum spiritualem innouationem, & gra-
tiam specialem designauit. Cetera que hic dicuntur, plenius
elucidata sunt in Matth. *Et veniūt ad domum, & conuenit ite-
rum turba ad Iesum, vt salutis verbum audirent, Ita vt non
possent neque panem manducare*, id est, tam feruenter ac per-
seueranter insitebat Christus verbo predicationis, quod di-
scipuli eius nō habebant quietū tempus ad manducandum,
Et cum audissent sui, id est, cum discipuli Christi, & maxime
quidam ex consanguineis suis ex parte matris, de quibus ait
Iohannes, quod fratres eius nōdum credebant in eum, Cum
igitur isti audissent verba Iesu, que erant supernaturalia, ar-
dua, insolita, rudibusque Iudæis penitus inaudita, *Exie-
runt tenere eum*, hoc est, comprehendere vel ligare Iesum
tanquam arreptitium vel insanum. *Dicebant enim, quoniam
in furorem versus est*, id est, furiosus effectus, quoniam enim
audierunt eum talia predicare, nec à predicatione cessare,
nec corporalia commoda curare, opinati sunt, quod esset in
furorem conuersus, quemadmodum Festus ait ad Paulum,

A
1. Cor. 20
Luca. 9
Mat. 19
B
Mat. 16
Luca. 30
Iob. 36
Matt. 16
C
Iohan. 7
Multa



tatis decoris, & perfectionis in hominib⁹ reperitur, à verbo seu filio dei profertur, & datur, à quo dona nature, & gratie deriuantur. Dicitur ergo verbum lux nostra, quasi causa nostrae illustrationis, illuminans nos ad diuinorum cognitione atque perducens ad beatitudinem supernaturale, per supernaturalia dona spiritus sancti: sicut ait Apostolus, Gratia dei vita aeterna. Hinc dicit Psalmista, Signatum est super nos lumen vultus tui domine. ¶ Sed quoniam iuxta diuinum Diony. nulla creatura sit expers participationis lucis diuine cur verbum seu vita haec appellatur specialiter lux hominum? Et respondendū dupliciter. Primò, quia in hoc libro tractatur de verbo, prout Saluator est generis humani, eripiens nos à tenebris ignorantiae & peccati, trāsferensq; ad lumē gratie

E in praesenti, atque ad lumen gloriae in futuro. Secundo, quoniam inter omnes creaturas corporales & inferiores sol⁹ homo ad deum conuertitur, & pertingit per intellectum & voluntatem ideo specialiter illustratur à verbo, tanquam ad dei imaginem factus. Et lux ista, videlicet verbum, de quo cantamus in Psalmo, In lumine tuo videbimus lumen, *In tenebris lucet* hoc, est inter peruersos Iudeos. conuersatione, praedicatione, & signis respēdit. Vel, in tenebris lucet, hoc est, in cordibus impiorum gratia suae lucē diffundit, & per predicatores fideles hominib⁹ execratis ac reprobis, lumē Christianae doctrine proponit. Potest quoq; per tenebras omnis creatura intellectualis intelligi, quae comparatione lucis diuinae, potius reputatur caligo quā lux. Propter quod ait Psal. Deus meus illumina tenebras meas, *Et tenebrae eam non comprehendunt.* ¶ Infra ait sanctus Iohannes, quod cohors, & tribunus, & ministri comprehenderunt Iesum. Et in Actis princeps Apostolorum ait de Iuda, Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum. Nōne & isti tenebrae extiterunt qui Saluator, Haec est hora vestra, & potestas, tenebrae non comprehenderunt hanc lucem? Haec est hora vestra, & potestas tenebrarū. Quomodo ergo tenebrae non comprehendunt hanc lucem? Sed hoc facillimè soluitur, quoniam illa de corporali comprehensione Christi intelligitur, nunc autem de spiritali comprehensione fit sermo. Verum tunc rursus quaestio oritur, quomodo tenebrae non comprehenderunt hanc lucem? multi enim ad Christum conuersi sunt, eumque per fidem, spem, & charitatem comprehendunt, quibus dicitur

Roma. 6.
Psal. 4.
Diony.

Psal. 35.

Psal. 17.
Iohā. 18.
Act. 1.
Lucā. 22.

ait Apосто. Fuisit aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino Sed rursus apparet oppositum, vt enim mox subiungitur. Deum nemo vidit vnquam: ergo multo amplius deum nemo comprehendit, cum spiritalis comprehensio sit perfectissima, interna, ac intima visio. Et respondendum, qd Euangelista ad literam loqui videtur de obtenebratis Iudaeis, & comprehensione Christi, per fidem & charitatem. Sic enim excecati & indurati Iudaei Christum nō comprehendunt, vnde Saluator ad eos, Sermo (inquit) meus non capit in vobis. Et iterum, Neque me scitis, neq; patrem meum. Praeterea, multiplex est comprehensio. Prima est comprehensio terminatiua qua res secundum se tota capitur, videtur, siue cognoscitur tam perfecte, sicut cognoscibilis est, sicque infinitum à finito comprehendi non valet. Vnde hoc modo deus est tam incomprehensibilis omni creaturae, etiā sanctis in patria, quā immensus, ideo hoc modo ipse solus comprehendit seipsum. Secunda est comprehensio clarae visionis, qua essentia rei verae conspicitur, & ita beati comprehendunt deum, quem facie ad facie contuentur, propter quod comprehensores dicuntur. Tertia est comprehensio certae adhaerentiae per fidem, atque sincerae adhesionis per charitatem, sic viatores comprehendunt deum, quod magis proprie dicitur apprehendere quam comprehendere. Tenebrae ergo, id est, peccatores, quia in suis malitiis permanserunt, nullo horum modorum comprehenderunt Iesum, qui autem conuersi sunt, comprehenderunt eum tertio modo.

¶ Denique iuxta doctrinā magni Dionysij, deus comparatur soli materiali: vnde & deus sol intelligentiae atque iustitiae appellatur: quoniam sicut sol iste visibilis vniuersa suae lucis susceptiua irradiat, atque ingenua propriae lucis plenitudine, naturalique proprietate sine praeratiocinatione ac praenua deliberatione cuncta disposita sua claritate perfundit, ornat, impletque, & si quid est quod nō illustratur hoc lumine, hoc non est ex solis defectu, sed ex propria indispotione. Sic deus sublimis & benedictus ex propria bonitatis infinita plenitudine, naturali inclinatione, & superliberalissima atq; piissima comunicabilitate, omnem intellectualem creaturam illuminat, implet, ac perficit, si fuerit capax atque disposita. Quod si aliqua non illustratur, id est, ex non parte dei, sed ob propriam indignitatem ac auersione. Quamuis enim sit deus vbique omnibus verissime praesens ac intimus, nihilo-

A
Ephes. 5.
Infra. 1.
1. Ioh. 4.
1. Tim. 6.
Exod. 3.
Iohā. 8.
Ibidem.

B
1. Cor. 13.

C
Sapie. 5.

D notarum, vt aliquo modò intelligerent quæ dicebatur, quauis sensum mysticum & perfectum non poterant capere, *Et ait illis scilicet discipulis, In illa die cum sero esset factum, id est, hora vespertina. Transimus contra id est, ad locum oppositum vltra mare, Et dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in uani.* Cõsequenter Euãgelista describit, quomodo Christo cum discipulis nauigante, orta & sedata est procella, siue tempestas in mari, quòd in Matthæo expositum est,

CAPVT V.

Et venerunt trans fretum.

ARTICVLVS V.

T venerunt Christus ac discipuli eius per nauem, *Trans fretum maris*, id est, aquam nauigabilem, *In regionem Gerazenorum.* Hoc loco Marcus describit sanationem dæmoniacy in legione dæmonum obsessi, & patet intellectus

Mat. 8.
Luc. 8.

huius scripturæ ex his quæ in Matthæo dicta sunt. *Et deprecabantur dæmones eum videlicet Iesum Multum, ne se expelleret extra regionem.* id est, terram illam. Vnde in Luca leguntur rogasse, ne præciperet eis ire in abyssum. Dæmones enim cupiunt esse cum hominibus, non ex dilectione, sed odio: & deus interdum permittit hoc ad ampliorem coronam & gloriam electorum. *Cunq̃ue ascenderet Iesus Nainim, vt reuerteretur in terram suam, Caput illum deprecari quòd à dæmonio vexatus fuerat, & sanatus, Vt esset cum illo, id est, vt*

F Iesus permitteret eum secum esse & cõuersari. Voluit enim gratum esse Christo pro beneficio tanto, *Et non admisit eum secum esse, Sed ait illi, Vade in domum tuam, & ad tuos, & annuntia illis quanta tibi dominus fecerit. Et abiit & cepit predicare in Decapolis.* id est, in prouincia decem ciuitates habente. Præterea recitat Marcus, quomodo Christus resuscitauit filiam archisynagogi, nomine Iairi, & qualiter eundo ad suscitationem illius curauit in via mulierem à profluuio sanguinis, vtrunq̃ autè miraculum in Matthæo explanatum est. Patet itaque ex Euangelio, quòd Christus interdum prohibuit miracula sua publicare, quadoque verò iussit ea manifestari: ad instruendum, quòd fideles interdum debeant opera sua virtuosa manifestare ad gloriam dei, adificationemq̃; proximi ex charitate, prout Paulus sapissimè fecit,

Mat. 9.

A fecit, interdum verò debent ea occultare ex humilitate. Denique aliqui dicunt, quod Christus prædictum dæmoniacy non admisit ad suum discipularum propter præcedētis passionis horrorem, & ne dæmoni ascriberentur opera quæ faceret virtute Christi existendo cum eo, & ob id furiosi ac dæmoniacy, etiam post curationem, in ecclesia non promouentur.

CAPVT VI.

Et egressus inde, abiit in patriam suam.

ARTICVLVS VI.

T egressus, inde, videlicet à domo archisynagogi, *Abiit in patriam suam Galilæam.* Porrò quod scribitur, hic de æmulatione, susuratione & scandalizatione Iudæorum propter doctrinam Christi, scriptum & elucidatum est in

B Matthæo. Ibi enim ostensum est, quomodo marcus dicat dixisse Iudæos de Iesu, *Nõne hic est fabri filius, cum Matthæus scribat eos dixisse, Nõne hic est fabri filius? Quod verò hic subditur, Nõ poterat ibi virtutem, id est, operationem miraculosam Villam facere, &c.* intelligendum est de potentia Christi ordinata quia non decuit propter illorum peruersitatem, non de potentia sua absoluta. *Et mirabatur propter incredulitatem illorum.* Qualiter admiratio locum in Christo habuerit, tractatum est plenius in Matthæo, vbi saluator legitur propter fidem Centurionis fuisse miratus: què admodum verò de illius fide, sic de istorum perfidia mirabatur. *Et circuibat castella in circuitu docens.* Nam quauis ingratos, incredulosq̃ue compatriotas reliquisset, processit tamen ad eos, de quorum informatione spes erat, *Et conuocauit Iesus Duodecim apostolos, quorum vnus fuit Iudas Ischariotes, Et cepit eos mittere binos, Quæ autem hic recitantur de missione, prædicatione & miraculis apostolorum, exposita sunt in Matthæo, ibiq̃; concordatum est id in quo Marcus à Matthæo discrepare videtur, Et vngebant apostoli Oleo multos & agros sanabantur.* Ex hoc elicitur, quòd extrema vnctio infirmorum fuit ante passionem instituta à Christo. *Et audiuit Herodes rex famam Christi. Manifestum enim factum est nomen eius, quia non ipse duntaxat, sed & discipuli eius signa fecerunt. Et dicebat Herodes, Iohannes Baptista resurrexit à mortuis.* Scriptura ista continens de collationem Iohannis Baptiste tota habita atq̃; exposita est

Mat. 13.

Luc. 4.

Mat. 8.

C

Mat. 10.

Mat. 14.



D. Dionysij Carthusiani

D in Matthæo. Et conuenientes apostoli ad Iesum, redeuntes, vtdelicet à prædicatione & executione officij eis iniuncti, Renunciauerunt es omnia signa Quæ egerant & verba Quæ euerant submittentes se correctioni atq; iudicio sui magistri ostendentes quoque se iniunctum negotium fideliter exequutos. Et ait illis, venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum Pius nanque magister ac dominus discipulorum labori & fatigationi compassus, concessit eis respirationem, recreationem, & quietem, veruntamen non magnâ nec longam, sed breuem ac modicam, ostendens non diu cessandum esse ab opere bono, nec vltra necessitatem indulgendum esse corporali quieti, sed vsque in finem inuictio animo perseverandam esse in opere virtuoso. Cur autem adduxerit eos ad locum secreti, subiungitur. **E**rant enim qui veniebant ad Iesum, eiusque apostolos, Et redibant ab eis Multi, sibi iniuicem in itinere obuiantes, Et nec manducandi spatium habebant discipuli, propter populorum concursum. Et ascendentes in nauim, Hoc loco Euangelista enarrat miraculum quemadmodum Christus ex quinque panibus, duobusq; piscibus saturauit quinque milia hominum, exceptis mulieribus & pueris, ita quod de fragmentis sublatis & adimpleti sunt duodecim cophini, Hoc autem miraculum expositum est in Matthæo. Aliquid tamen hic additur, scilicet. **E**t dixerunt ei, id est, discipuli Christo, **E**untes emam⁹ denariis ducentis panes, & dabimus eis manducare, hoc dixerunt ad ostendendum quam impossibile fuerit eis tantam turbam cibare. **T**âquam dicerent, Cum simus pauperes, non habemus pecuniam sufficientem ad emendum cibaria istis, quia & si ducentos denarios haberemus, **N**on sufficeret. Vnde in Euangelio Iohannis legitur, Ducentorum denariorum panes non sufficientes eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. **E**t statim coegit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum transfretum ad Bethsaidam vrbem Galilææ, Dum ipse dimitteret, id est, à se recedere faceret Populum. Ideo autem dicit Euangelista, quod coegit discipulos suos hoc facere, quia discipuli non libenter nauigabant sine eo, imò vbiq; libenter erant cum eo propter dulcedinem, pietatem & amabilitatem ipsius. **E**t cum dimisisset eos, id est, populum, **A**biit in montem orare, in quo docuit quod prædicator verbi dei, expleto prædicationis & instructionis officio, vitare debet strepitum

Mat. 14.

Iohan. 6.

In Euang. Marc. enarr. Artic. vi.

pitum populi, & ad orationem recurrere, atque quieti intendere, vt gratias agat deo de eo quod bene loquitur est, oratione deum pro auditorum fructu ac salute, & ite pro suis suis pleniori illustratione, vt habeat semper in promptu quod aliis fructuose proponat. **E**t cum sero esset. Quicquid in isto capite subditur, de ambulatione domini Iesu supra mare, & discipulorum conturbatione, de miraculis quoque Christi factis in terra Genezareth, dictum & declaratum est in Matthæo paucis demptis quæ exponenda sunt iam, **E**t volebat Iesus ambulans supra mare, Præterire eos, puto discipulos in naui periclitantes, fortè sic voluit eos præterire, quomodo post resurrectionem sinxit se longius ire, nec fuit aliqua simulatio, duplicitas siue deceptio, quoniam ad designandum aliquid spirituale hoc egit, videlicet propter ostendendam imperfectionem fidei discipulorum suorum, ob quam fuit quodammodo spiritualiter elongatus ab eis. **I**n plateis ponebant infirmos. Quidam sanctorum dicunt Petrum fecisse maiora signa quam fecerit Christus, quemadmodum Christus prædixit apud Iohannem, Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. In hoc autem asserunt Petrum fecisse maiora, quia de eo scriptum est in Actis, In plateis eiciebant infirmos, vt saltem veniente Petro, umbra illius obumbraret quenquam illorū, & liberarentur ab infirmitate sua, & dicunt: quod hoc nusquam legitur de Christo. Quibus obuiare videtur, quod hoc loco recitat Marcus. **Q**uocumque introibat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebat infirmos. Sed qui dictum illorum cupit tueri, dicere potest, quod Euangelista non ait aliquem languidorum sola obumbratione corporis Christi fuisse sanatum, sed tactu.

Mat. 14. Lucæ. 24.

Iohan. 14.

Acto. 5.

CAPVT VII.

ARTICVLVS. VII.

Et conueniunt ad eum pharisæi, & quidam de scribis. Onsequenter Euangelista describit inuidiosam increpationem scribarum ac pharisæorum manducabant manibus communibus, id est, nõ lotis, iustam quoque redargutione eorū à Christo, & quod hic induci possit pro expositione introducum est in Matth. vbi scriptura ista exposita est, per paucis exceptis quæ modo tangenda sunt, **E**t à sero

Mat. 15.




D *nisi* baptizentur, id est, scribæ, pharisæi, cæteri que Iudæi redeuntes à foro seu loco extraneo, nisi lauent se, *Non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis serbare, videlicet, Baptisma, id est, lotiones Calicum & vrcorum Omne extrinsecum introiens in hominem, id est, alimentum corporale, Non potest eum coinquinare, id est, hominem maculare, seu peccatoribus similem facere, quantum est ex natura vel parte alimenti, quia omnis creatura dei bona est, Et in secessum exit,*

1. Tim. 4. *purgans materialiter Omnes escas nutritiuas, quæ in substantiam aliti conuertuntur. Per hoc enim quod natura egerit superfluum alimenti, id quod remanet, purificatur separato superfluo & immundo à mundo & necessario. Et ingressus Iesus Domum, neminem extraneorum Veluit scire, id est, quantum in se fuit, occultauit se, & non permisit vt discipuli sui se manifestarent: docens fugere ostentationem inanem, vt amemus nesciri. Et non potuit latere secundum naturalem cursum & ordinem, propter celebrè famam ipsius. Nã & honor sequitur fugientem, & non potest ciuitas abscondi posita supra montem. Loquendo autem de absoluta Christi potentia, certum est, quod latere poterit, imo & se inuisibilem reddere, etiam stando inter alios. Mulier enim statim, Hic describitur curatio filie mulieris gentilis Syrophœnissæ genere, id est, natæ de Syria Phœnicis, est que locus iste expositus in Matthæo. Et iterum exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, id est, regio nis quæ vocatur Decapolis, quasi decem ciuitates habens, Et adducunt ei turba surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum iste surdus & mutus (vt dicitur) factus fuit talis à dæmone ipsum possidente, qui vsus linguæ & aurium impediuit in eo, vnde in Matthæo legitur, Tunc oblatu est dæmonium habens cæcus & mutus Et apprehendens (Iesus) eum surdum & mutum, De turba scorsum ex humilitate, vel quoniam turba digna non erat videre mysterium huius miraculi, vel ad designandum, quod spiritualiter surdi ac muti, secrete admonendi sunt atque docendi, ne ex humano rubore retrahantur ab aduertentiâ & pœnitentiâ. Misit digitos suos in auriculas eius Primo ad ostendendum quod diuinitas in eo latens operabatur per corpus assumptum, tanquam per instrumentum animatum cõiunctum ac proprium, quem admodum anima rationalis operatur per corpus à se informatum*

matum Secundo, quia per digitos ratione articulationis & distinctionis ipsorum significatur discretio: ad aperendum autem aures interiores hominis spiritualiter surdi, discretio magna exigitur, Et expuës tetigit suo sputo linguam eius, quia per saliuam sine qua verba formari non possunt perfectè, sapientia figuratur, sine qua nemo rationabiliter loquitur, Expuit ergo, & tetigit Iesus linguam surdi ac muti, ad insinuandum quod qui motus est à prolotione verborum cœlestium atque salubrium, rectè ac meritorie loqui non potest, nisi diuina sapientia perfundatur. Propter quod orat Apostolus, vt detur sibi sapientia in apertione oris Et suscipiens in cœlû Ad demonstrandum quod tota virtus sua esset à patre, & quod ab eo auxiliu habuerit secundum quod homo, Ingenuit Quare ingenuit? Nunquid propter difficultatem perpetrandi miraculi? Non vtrique, sed ex compassione qua non solum præsentati infirmo, sed vniuersis cõdoluit, quid è monum dominatione premuntur: & item ad ostendendum quàm difficile sanaretur anima spiritualiter surda ac muta. Vnde in resuscitatione Lazari turbauit seipsum, fremens spiritu, & lachrymas fundens, ad demonstrandum, quod mole consuetudinis impiæ pressi obstinati, super quos clausit puteus os suum qui figurantur per quadriduanum mortuum, difficillimè conuertuntur, & vitæ gratiæ sortiuntur. Et ait Iesus illi surdo & muto, Ephetha, quod est, adaperire. Et statim aperta sunt aures eius, id est, ad audiendum aptatæ Et naturali vsui redditæ, & solutū est vinculum, id est, impedimentum Lingua eius, & loquebatur rectè. Sic qui spiritualis visus illustrationem interiorum que aurium apertionem à Christo sortitur, loquitur rectè, id est, iustè, sapienter atque salubriter, prout monet Apostolus, Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Et præcepit illis, id est, turba, Ne cui dicere, id est, nulli reuelarent curationem hanc miraculosam. Quanto autem eis præcipiebat tacere, Tanto plus prædicabant, non tamen rebelles fuerunt: quia vtrunque bonum fuit secundum considerationes diuersas, & præceptum saluatoris intelligendum erat, ne ad iactantiam diceretur, Et eo amplius mirabantur, dicentes, Bene omnia fecit, de quibus omnibus subditur. Et surdos fecit audire, & mutos loqui. Quamuis enim Marcus non exprimat hic, nisi de curâ vnius, tamen quando Christus istum curauit, sanauit, & alios multos surdos, & mutos, ac carcos, & debiles, vt habetur

A
Ephesi. 6.
B
Iohan. 11.
Psal. 68.
C
Gene. 1.
Eccle. 32.
cur



dur in Matthæo: sed Marcus scribit de vno, cuius curatio so-
lennius facta est, & multa mystica figurauit, eratque mira-
billo: quia in vno homine tria signa simul facta videntur,
dum obsessus liberatur, surdus auditum, & mutus loquelam
recuperat. Non tamen certus sum an iste surdus & mutus
sit idem, de quo scribit Matthæus, asserens eum obsessum
à dæmone.

CAPVT VIII.

In diebus illis, iterum cum multa turba esset cum Iesu, &c.

ARTICVLVS VIII.

O loco Marcus describit, quemadmodum Chri-
stus ex septē panibus, & paucis pisciculis satiavit
quatuor milia hominum, ita quod septem sublate
sunt sportæ fragmētōrū: & istud expositum est in Matthæo.
Et statim ascēdens nauim cū discipulis, venit in partes Dalmanu-
tha. In Matthæo habetur, in fines Magedam. Locus enim
binomius fuit secundum quosdam. Et exierunt pharisæi, que-
rentes signum de cælo. Et ingemiscens spiritu, id est, cordia-
liter illorum cecitati & peruersitati compatiens Iesus, et di-
mittens illos tāquam incorrigibiles, Præcipiebat discipulis, Ca-
uete à fermento, id est, doctrina Pharisæorum & à fermento
Herodis, id est, à secta atque malitia Herodianorum, de qui-
bus præhabitu est. Cætera hic omiſsa patent ex his quæ di-
cta sunt in Matthæo, vbi omnia ista multo plenius quàm in
hoc capite describuntur. Et venit Betsaida, & adducunt ei cæ-
cum, & rogabant eum, vt illum cæcum tangeret, scientes,
quod tangendo eum illuminaret. Isti adducentes cæcum vi-
dentur fuisse turbæ, non discipuli. Et apprehensa manu cæci,
eduxit eum extra vicum, in quo fuit ibi adductus, ad demon-
strandum, quod eum qui diuinitus illustrari desiderat, ne-
cesse est pristinos a ius relinquere, imò seipsum abnegare,
& quasi de terrenis ad cœlestia transire, Et expuens in o-
culos eius ad ostendendum quod interiorum oculorum illu-
stratio fit per immisionem sapientiæ profluentis à Christo:
per saluam nempe sapientia designatur. Vel ideo expuit in
oculos eius, vt potestatem suam ostenderet, quando & per cō-
tactū spūti sui cæcus reciperet visum, Impositis in manibus suis su-
per cæcū, & forte super oculos eius, Interrogauit eū, nō quasi
ignorans, Si aliquid videret. Et aspiciens ait, id est, cæcus iste
videre incipiens, & obscure illuminatus, respondit. Video ho-
mines

Mar. 15.
Mat. 16.

mines, quasi arbores ambulantes. corpora video moueri, sed di-
stinctionem membrorum, & figuras lineamentorum non di-
sternō in eis. Deinde iterum imposuit Iesus Manus super ocu-
los eius, & cepit videre, & restitutus est, id est, ad vltim ocu-
lorum reductus est. Ita vt videret clare omnia colorata seu lu-
cida sibi obiecta. Per impositionem manuum saluatoris desi-
gnatur applicatio suæ diuinæ virtutis, qua hominē illustran-
te, videt clare omnia ad veram salutem spectantia. Sed cur
Christus omnipotens curauit hunc cæcum successiue, quem
poterat in instanti perfecte curare? Dicendum quod primò
ad ostendendum quod homo paulatim crescit & proficit
in gratia ita quod scilicet purgatio præcedit illuminationē,
illumination quoque perfectionem seu vñionem. Secūdo, ad
ostendendum imperfectionē fidei, tam cæci istius quàm tur-
bæ ac discipulorum. Quemadmodum enim propheta: inter-
dum verbis, interdū signis & factis prophetauerunt: sic Chri-
stus aliquando verbis, aliquando factis aliquid designauit,
aut præmonstrauit, vt cum maledixit ficulinea. Sic igitur in
præsentia paulatim illuminauit hunc cæcum, significas homi-
nes obscurā fidem habere, & clariori lumine indigere. Pre-
terea istos S. Marcus describit, quomodo Christus interroga
uit discipulos suos quid homines de ipso sentirent, seu quem
eum esse assererent, & quomodo suam passionē palam præ-
dixit, & Petrum oppositum persuadētem dire redarguit, o-
mnes quoque qui aderant ad suæ passionis imitationē, & ad-
uersitatum tolerantiam admonebat, quæ omnia habita atq;
exposita sunt in Matthæo: aliqua tamen adduntur vel vari-
antur, quantum ad verba, quia hic dicitur. Qui enim me con-
fusus fuerit, & verba mea pro quo in Luca habetur, Qui me
erubuerit & meos sermones, & est sensus, qui turpe estimat
vt à me Christianus vocetur, & me esse filium dei confiteri
non audeat, meaque verba obseruare, confunditur, In gene-
ratione ista adultera & peccatrice, id est, inter homines spiri-
tualiter fornicantes recedēdo à deo vero, & reb³ caducis in-
harendo, de quibus fertur in Psalmo, Perdidisti omnes qui
fornicantur abs te Et in Osee, Fornicati (inquit) sunt à deo
suo Deus enim est sponsus animarum, qui primo desposuit
sibi synagoga in datione legis, deinde ecclesiam, Et filius ho-
minis confundet eum, id est per modum erubescētis se habebit,
quantū ad ipsum nō confitendo eum pertinere ad se, neq; ad
nume-

B

Marc. 11.
Lucæ. 21.

Osee. 4.
1. Ioh. 2.



De numero electorum, *Quum venerit in gloria patris sui*, ad quam in ascensione conciderit, & nunc aduocatus eorum est, qui ipsum non erubescunt in seculo isto.

CAPVT IX.

Et dicebat illis, Amen dico vobis, quia sunt quidam, &c.

ARTICVLVS. IX.

Consequenter Euangelista describit Christi transfigurationem, & apostolorum interrogationem, Christi que responsonem de aduētu Heliaz, quæ omnia explanata sunt in Matth. Vnum tamen verbum ponitur hic obscure, cum dicitur, *Et quomodo scriptum est in filium hominis*, **Mat. 17.** *ut multa patiatur & contemnatur*, id est, de Christo vel contra Christum scriptum est, quod mortem, & contemptum passurus exciterit, ita Helias ab Antichristo patietur, vel cõparatio referenda est ad Iohannem Baptistam: quod & ipse multa perpessus sit, vnde subiungitur, *Dico vobis, quia Helias iam venit, & fecerunt illi quacunque voluerunt*, eum multipliciter persequendo, Herodes. s. & Iudæi, *Sicut scriptum est de eo*. De passione Iohannis nõ recolo aliquid prophetarum in veteri testameto in speciali, idcirco quod ait, *Sicut scriptum est de eo*, referri potest ad id quod ait, Helias iam venit, qui de aduētu Iohannis & prædicatione ipsius Esaias & Malachias scripserunt, **Mal. 4.** *Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos*. Ideo enim turba accurrebat, vt videret an possent curare dæmoniacum eis oblatum, *Et scribas conquirentes*, id est, conferentes. **F**los, quare non potuerunt dæmoniacum liberare, & forte illudebant eis, quod non poterant eum curare, sicut tentabant. *Et confestim omnis populus vidit Iesum stupefactus est*, id est, admiratus, *Et expauerunt*, nescientes vbi fuisset, & quare abisset, vel quomodo eum perdidissent. Christus enim sæpe imperceptibiliter se subtraxit à populo, *Et accurrentes saluabat eum*, & interrogauit eos, *Quid inter vos conquiritis?* Quod interrogationes Christi non processerunt ex ignorantia vel dubitatione, sed vt conuenientiùs responderet, vel alijs aliquid innotesceret, sæpe præactum est. *Et respondens vnus de turba dixit Magister, attuli filium meum ad te. Quomodo intelligedum est hoc, cum post pauca subdat, Qui respondens, dicit, Afferse illum ad me, & attulerunt eum*. Dicendum, quod pater attulit seu adduxit filium suum ad Christum, id est, ad locum communem

tionem in quo fuit Christus & alij, nondum tamen adduxit A eum in cõspectu ipsius, *Habentem spiritum mutum* id est, possessum à dæmone, loquelam filij mei impediente *Qui vbiçumque eum apprehenderit id est, infestare cõperit*. Non enim cõtinuo, sed certis horis, seu lunationibus eum vexauit. **Mat. 17.** **M**atth. dicit, puerum fuisse lunaticum, *Allidit eum* id est, in terram trudit seu proicit *Et spumat & stridet dēibus & arefcit*, ex quo patescit vehemētia huius vexationis. *Et cum vidisset illum id est, Iesus hunc puerum, vel puer Iesum*, *Statim spiritus conturbauit id est, diabolus vexauit eum*. Videns enim dæmon se expellendum, fecit quod potuit, *Et Iesus id est, proiectus In terrā obsessus*, *Volubatur spumans*. **E**t interrogauit Iesus patrem eius, vt alij veritatem agnoscerent, & perpetrandi miraculi magnitudinem ex hoc clarius scirent. **Q**uantū tēporis est, ex quo ei hoc accidit? *A ille ait, Ab infantia*. Ex quo videtur, quod non propter culpā suam puer ista sustinuit, quemadmodū de cæco nato ait Saluator, q̄ neque ipse peccauit. *Sed si quid potes, adiuua nos*. Ex hoc apparet, quod fides & spes huius viri imperfectæ fuerunt. Non enim agnouit Christum omnia posse, sed dubitando loquutus est, non tamen diffidebat. *Iesus autem ait illi, Si potes imò quia potes Credere*, fiet quod postulas, cuius ratio subditur. **Iohan. 9.** *Omnia possibilia sunt credenti*, non quod credens posset omnia facere: sed impetrare: imò si fuerit fides p̄fecta, meretur de cõgruo adipisci quicquid petierit, & virtute ac merito fidei mirabilia maxima fieri valēt *Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat, ex magno enim desiderio curationis filij sui lachrymas fudit. Credo domine, adiuua incredulitatem meam* id est, supple ac perfice fidei meæ defectum, ne propter fidei meæ imperfectionem impediatur curatio filij mei. Verū si pater credidit, quomodo dicit, *Adiuua incredulitatem meam?* Dicendum quod nomen incredulitatis significauit non infidelitatem, sed fidei imperfectionem *Et cum vidit Iesus concurrentem turbam, cõminatus id est, verbo minaci, duro & increpatorio Loquutus est spiritui immundo, dicens illi, Surge & mute spiritus*. Dicitur autem diabolus surdus & mutus, nõ formaliter sed effectiue, hoc est, ratione sui effectus, quoniam obsessum fecit surdum, mutumque, *Ego tibi precipio, exi ab eo, & amplius ne introcas in eum*. Et clamās diabolus ex dolore, *Et multum discerpens id est, intus discutiens, &*

quasi



quasi dilanians eum ex furore & inuidia, Exiit ab eo & factus est quasi mortuus, propter disproportionem spirituum vitalium interiorumque sensuum, Ita ut multis ad iudicandum proni atque incauti, Dicerent quia mortuus est. Hanc autem vexatione Christus permittit ad amone fieri, ut sua potestas in eius subitanea curatione ostenderetur ad gloria dei. Unde subiungitur, Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit, Et pratergredebatur Galilea Iesus & eius discipuli, Nec uolebat Iesus quicquam, id est, aliquem extraneorum scire transitum suum, dans predicatoribus, praelatis atque doctoribus salubre exemplum, ut sepius subtrahant se a plebe ac strepitu, vel ut quieti, contemplationiq; vacent ad horam, vel quia plebs ipsa indisposita est audire uerbum salutaris & expedit ei ut fiat dilatio: ne si statim audierit spernat, & grauius iudicetur, propter quod interim disponeda est ad auditum uerbi celestis, per alias uias atque industrias. Docebat autem discipulos, quoniam filius hominis traderetur, & occideretur, At illi ignorabant uerbum id est, sermonem istum non intellexerunt, nescientes an Christus loqueretur parabolice uel aperte. In Mattheo dicitur, quod contristati sunt uehementer ergo intellexerunt uerba Christi, nisi dicatur de sua ignorantia doluisse. Ad quod dicendum apparet, quod quidam discipulorum intellexerunt haec uerba dicta esse ad literam de Christi occisione, alii autem hoc nesciebant. De quibus subiungitur, Et timebant eum interrogare qualiter intelligenda essent haec uerba, uel propter magistri tanti reuerentiam, uel ne increparentur de sua ruditate sicut paulo ante audierunt, Nondum cognoscitis neq; intelligitis? Adhuc caecati habetis cor uestrum? Et interrogabat Iesus eos, Quid in uia tractabatis? id est, de quo loquebamini? At illi tacebant. Apprehendit enim eos cor eorum, & culpam suam proferre timebant ac erubescere. Erant equidem imperfecti. Si quidem inter se disputauerunt quis esset illorum maior? huius contentiois causam pandit Mattheus, uidelicet, quoniam Christus praecipit Petro dare nomina leuantibus tributum pro se, & pro Petro, ex quo coniecturabant discipuli Petrum omnibus esse praelatum quod quidam eorum moleste ferebant. Nec mirum: si nunc de prelatione rixati sunt, quando & in aeterna nouissima, ut testatur Lucas, facta est inter eos contentio, quis eorum uideretur esse maior. Quae autem sequitur in Mattheo exposita sunt.

Mar. 17.

Iob. 27.
Mat. 17.

Hic tamen additur, quod Iesus complexus fuit puerum quem A potuit in medio, dicens, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli. Ex quo certum est, quod puer iste non fuit ipse Iesus, quamuis aliqui forte sancti hoc asserant, imo Hieronymus, & Bernardus de hoc dubiose loquuntur, sed Bernardus debemus scripturam canonicam certitudinaliter sequi. Respondit illi uidelicet Christo Iohannes Apostolus, Dicens, Magister, uidimus quendam in nomine tuo eicientem daemona, qui non sequitur nos inter nos conuersando, uel nostre conuersationis modum sectando. Et prohibuimus eum ab hoc opere tanquam indignum, quia non sequitur nos. De isto eiciente daemona aliqui dicunt, quod credidit Iesum esse Christum, & ergo uirtute suae fidei per inuocationem, & adiurationem nominis Christi eiecit daemona: alii dicunt, quod ita non credidit, sed experimentaliter uident Apostolos in nomine Iesu eiecisse demones, credidit nomen Iesu esse uirtuosum atque idoneum ad daemones expellendos, sicque in nomine eius expulit daemones, quemadmodum in actis legitur, tur septem filii Archisynagogi principis sacerdotum demones eiecisse, dicendo, Adiuro uos in nomine Iesu quem Paulus praedicat. Iesus autem ait, Nolite prohibere eum, aut alium sibi consimilem. Nemo enim est qui faciat uirtutem id est, miraculosum effectum. In nomine meo & possit cito male loqui de me quia in suo opere experitur efficaciam nominis mei, & siue a fide apostatet, & siue in infidelitate semper permaneat, non tamen habet occasionem aut frontem male loquendi de Christo, cum gloriatur in signis in nomine Christi peractis, Quisquis potum dederit uobis, calicem aquae frigidae in nomine meo: quia Christi estis Amen dico uobis non perdet mercedem suam. Haec sententia plenius scripta atque exposita est in Mattheo. Denique quae sequuntur ab eo loco quo dicitur, Quisquis scandalizauerit unum ex his pusillis usque ad id, Omnis enim igne salietur explanata sunt in Mattheo. Et quia in uerbis his docuit Christus ad uiranda scadala, abscindenda esse corporis membra, ne hoc imprudenter intelligatur, per mutilationem membrorum subdit, Omnis enim igne salietur hoc est, quilibet uerba haec mea adimplens, igne tribulationis probabitur. Omnes enim uolentes pie uiuere in Christo perfectionem patiuntur, & per hoc sapiens atque discretus reddetur, Qui enim non est tentatus, quid scit. Ideo Esaias testatur Vexatio

Leuit. 22.
Mar. 18.

B

Acto. 19.

C

Mat. 19.

1. Tim. 3.

Esa. 28.

D Vexatio (inquiens) dabit intellectum, vt recte intelligat, iuxta Regue agat, & omnis victima salietur. Iustum fuit in lege, in omni sacrificio sal offerri. Est itaque sensus, quod sicut in veteri testamentis, quolibet oblatio deo accepta, sali fuit admixta, iuxta illud quod in Leuitico dicitur, Quicquid obtuleris sacrificio tuo, sic omnis actio deo placita, discretione formabitur vt sit rationale obsequium nostrum. Vel sic, Omnis igne salietur, hoc est, qui verba mea verè impleuerit, charitatis, feruore perfundetur, vt sibi sapiant diuina, & gustet quam dulcis est dominus. Sine charitate enim homo non habet rectum diuinorum saporem, nec operatio eius sapida extat. De hoc igne ait Saluator, Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accedatur? Ad quod mystice pertinet illud quod in Leuitico scriptum est, Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Vnde orat Psalmista, Vre renes meos, & cor meum. Bonum est sal hoc est discretio bona est, ac desiderabili, quatenus decenter, & secundum ordinem omnia fiunt in nobis. Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? hoc est, quod in Matthæo dictum atque expositum est. Quod si sal euauerit, in quo salietur? Sumitur autem hoc loco sal pro homine discreto, præsertim prælato siue doctore, quem admodum dominus dixit Apostolis, Vos estis sal terre. Est itaque sensus, Si sal insulsum fuerit, id est, si homo discretus, rector seu doctor aliorum fuerit: factus insipiens male uiuendo, aut falsitati credendo, in quo illud condietis? Hec est que aliorum poteritis per illum instruere siue perficere: indignus enim prælatus & indiscretus, sibi ipsi & aliis nocet, Habete in vobis sal id est, discretionem atque prudentiam. Quemadmodum in prouerbii scriptum est, Dic sapientie soror mea es Præter. 7. & prudentia voca amica. Melior quippe est discretio, quam Rom. 12. vires Et pacem habete inter vos Beati namque pacifici, quoniam filii dei vocabuntur, Et Apostolus monet, Si fieri potest Ephesi. 4. quod in vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes. Iohan. 14. Porro cum pax sit charitatis effectus, quemadmodum charitas, ita & pax, certum indicium est discipulatus, filiationis Christi, hoc est, quod simus filii atque discipuli Christi. Qui ait, In hoc eo gnosceret omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Pax autem seruari non potest, nisi homo dominetur animo suo, iram, impatentiamque vincendo,

o, vt sit felicitus seruare unitatem spiritus in vinculo pacis. A Hæc verò de spirituali, interna veraque pace sunt intelligenda, quam Christus post passionem suis discipulis peculiariter commendauit ac nuntiavit. Pax (inquiens) vobis, de qua & passioni iam proximus loquebatur, pacem relinquo vobis pacem meam do vobis,

CAPVT X.

Et inde surgens venit in fines Iudææ.

ARTICVLVS X.

O loco sanctus Marcus describit quemadmodum Pharisei animo tentandi sciscitabantur à Christo an liceret marito uxorem dimittere: patetque intellectus huius scripture ex his que in Matthæo dicta sunt, quatenus ordo verborum, & modus loquendi hic, & ibi parum mutetur. Hic enim habetur quod Christus interrogauit Phariseos. Quid vobis Moyses præcepit? Qui dixerunt, Moyses permisit libellum repudiij scribere, Ibi verò habetur, quod pharisei interrogauerunt à Christo, cur Moyses mandauit dare libellum repudiij. Ad quod dici potest, quod Christus primo interrogauit eos vt recitat Marcus: Cumque Saluator dixisset verbum Moysi non esse intelligendum vt ipsi putabant, petierunt à Christo cur Moyses illud mandasset seu permisisset, Quisquis non receperit id est, recipere seu adipisci studuerit Regnum dei id est, patriam beatorum Velut paruulus id est, vera humilitate existens, & paruulorum innocentiam sequens, Non irabit in illud post vitam presentem, Idcirco per Salomonem sapientia ait, Si quis est paruulus veniat ad me. Et complexus eos id est, Iesus paruulo sibi presentatos amplectens Et imponens manus super illos, benedicebat eos in quo patet quantum Saluator dilexit humanam naturam, dummodo innocentia adornetur. Præterea euangelista commemorat, quemadmodum quidam adolescens ad diues petiuit à Christo, Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam, & quomodo Christus ei respondit, atque aduersus auaritiã disparauit que omnia in Matthæo exposita sunt. Es capit Petrus ei dicere, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Locus iste in Matt. expositus est, aliquid tamen hic variatur, quantum ad verba, pauca verba adduntur, quum dicitur, Respondens Iesus ait, Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, &c. propter me & Euangelium id est, vt Euangelium

Deam obseruet doctrinam *Qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres & sorores.* Pro quo Marthæus scripsit, centuplum accipiet, quod in Mattheo expositum recolo, Non enim intelligendum est carnaliter, ut in lenarij estimabant, quasi ta' is pro vno patre habiturus sit in hoc seculo centum patres, & pro vna matre ac cõiuge centum matres, atque vxores: sed accipiet talia cõtines multiplicata equiuallenter, & in potioribus bonis, id est, spiritualia bona, gratiã, virtutes, dona, & fructus spiritus sancti in hoc seculo obtinebit, *Cũ persecutionibus* quia p multas tribulationes oportet nos ingredi regnum cælorum, Sed quomodo Persecutiones assignantur inter præmia, cum potius spectent ad merita, nisi quòd domum dei est & beneficium magnũ pati pro Christo aduersa, quemadmodum dicit Apostolus, vobis datum est pro Christo non solum vt credatis in eum, verũ etiã vt patiamini pro illo. *Erant autem in via ascendentes in hierosolyam, & præcedebat illis Iesus. Et stupebant, hoc est, in doctrina Christi mirabantur, vt patet ex textu, Et sequentes discipuli Iesum, timebant* Propter difficultatem implendi, verba Christi. Dicebat enim, *Quis poterit ialuus fieri?* In super recitat Marcus, quemadmodum Christus passionem suis prædixit Apostolis, addẽs te tertia die resurrecturũ, & quomodo Iacobus & Iohannes ex hoc moti sunt ad perendũ a Christo, vt vnus eorum ad dexteram, aliũque ad sinistram Christi federet in gloria eius, quæ omnia lucidata sunt in Matthæo, exceptis paucis quæ subsequuntur, *Potestis baptismo quo ego baptizor* id est, sanguinis proprii perfusione, vel tinctione qua ego in passione perfundar *Baptizari* hoc est, lauari, sanguinem vestrum propter iustitiam effundendo. *Baptismo quo ego baptizor, baptizabimini* Re vel animi præparatione, Iacobus enim sanguinẽ suum fudit pro Christo ab Herode decollatus. Iohãnes verò in pace quieuit, sed animo martyr fuit, & multa tolerauit pro Christo. *Cõsequenter* describitur illuminatio cæci, qui erat filius Thymei propter quod dicitur Barthymeus à Bar, quod est filius, & Thymeus quasi filius Thymei, patetque expositio ex his quæ in Matthæo dicta sunt. In fine autem illius capituli habetur, quòd erant duo cæci, sed quoniam vnus famosior erat, idcirco duntaxat recitat Marcus de vno.

CAPV.

CAPVT XI.

Et quum appropinquaret Iesus Hierosolyma, & Bethansæ ad montem oliuarum.

ARTICVLVS XI.

Et quum appropinquaret Iesus Hierosolyma, & Bethania ad montem Oliuarum Mons quippe Oliueti, in quo crescebant oliuæ, inter Hierusalem atque Bethaniam fuit. propterea Christus accedendo hunc montem propinquus fuit vtrique loco, *Misi duos ex discipulis suis* Scriptura ista in qua continetur, quemadmodum Christus in die palmarum fecit, sibi adduci asinũ, & quomodo introiuit Hierusalem cum processione solenni, clamantibus turbis, benedictus qui venit in nomine domini, exposita est in Matthæo. Marcus autẽ non facit mentionem de asina, sicut nec Iohannes: quia non omnes omnia scripserunt. Dicit quoque Marcus, quòd inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, hoc est in loco duarum viarum. *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.* Aliqui dicunt quod Iudæi ista clamantes putabant Christum temporaliter regnaturũ. Quemadmodum David regnauit, ita quòd liberaret populum Iudeorum à potestate Romanorum, & omnium extraneorum: sed huic dicto videtur repugnare quod subditur, *Osanna in excelsis*, i. salua in cœlestibus, item quod sæpe audierũt Christum prædicare regnum cœleste, nõ tetrenũ, sed potius paupertatem, abiectionem, & humilitatem omniumque temporalium rerum contemptum. Aliter ergo exponendum est, *eritque sensus, benedictum, id est sanctum est, regnum patris nostri David, id est, spirituale regnum, & gubernatio Christi* significata per regnum David, quod venit, i. iam in Christo exhibetur atque impletur. Vnde ad virginem matrem angelus dixit, *Dabit illi dominus deus sedẽ David patris eius.* & Esaias, *Super solium (inquit) David, & super regnum eius sedebit. Cumq; vidisset à longe sicum habentẽ folia, venit, si quid forte inueniret in ea nõ ignorando seu dubitando accessit ad sicum, sed per modũ talem se habuit propter mysticam causam, vt dictũ est in Matt. Et non sinebat vt quisquam transferret vas per templum, Hoc, non est intelligendum de vasis templi & sacerdotibus ac leuitis, quãtum ac talia vasa, sed de vasis male negotiantium in tẽplo, humano vsui deseruentibus.* Denique secundum Origenem, hoc opus Christi quo ppe



AA. 14.

Philip. 2.

Mat. 20.

10

A

Mat. 19.

Lucæ. 1.

Esa. 9.

Mat. 25.

c j

vppj



Dignus ac pauper tot milia eiecit de templo, eosque prohibuit atque compescuit, mirabilissimum fuit & mirabilius quam illuminatio caeci nati. Egrediebatur namq; ex vultu & oculis Iesu igneus, diuinusq; fulgor, cuius intuitu omnes terrebantur, nec audebant resistere. Respondens Iesus ait illis, puta discipulis, Habete fidem dei, id est, fidem catholicam, sanctam, atque firmissimam, quae habet deum pro obiecto & causa ac fine, quoniam primae veritati innititur, a deo per creationem infunditur, ad dei beatificam visionem ordinatur. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit monti huic tollere & mittere accipienda sunt verba ista palsuae, In mare, & non hesitauerit in corde suo, sed crediderit plenissime, Quia quodcumq; dixerit id est, praeciperit vel petierit fiat id est, deo agente, ueniat seu agatur. Fiet ei quemadmodum Iosue imperante, Iosue. 10. sol & luna steterunt in caelo immobiles spatio vnius diei. Mat. 10. De hac materia dictum est plenius in Mattheo. Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes, petitis, credite quia accipietis, & conuenient vobis dummodo sit vera oratio, quae secundum Damascenum est petitio decentium a deo, hoc est reru quas decet postulari a domino. Dum ergo petimus ea quae sunt vere salubria, nec ab oratione cessamus, sed toto affectu dominu inuocamus stabiliter, quod nemo facit, nisi qui opera sua pro posse conformat petitioni, faciens quod in se est, & ad gratiam se disponens, tunc proculdubio obtinemus tandem quod petimus, vel aliquid maius ac melius: & quia non semper exaudimur pro aliis, quamuis perseueranter, salubriterque precemur: ideo notanter dictum est, Accipietis, & conuenient vobis de hac materia dicta sunt plurima in Mattheo, in quo scribitur, Omnis qui petit, accipit: & qui quaerit, inuenit, &c. Et cum stabitis id est, deo vos praesentaueritis, stando, sedendo, iacendo, vel genuculando, Ad orandum: dimitte si quid habetis aduersus aliquem id est, si aliquis vobis quid forte fecit. Saepe enim indulgenda est offensa seu culpa, & interdum poena, sed non semper, quia dum ex remissione poenae seu satisfactionis iustitia perit, disciplina languescit, vel transgressor ad peccandum pronior, audaciorque efficitur, non est poena dimittenda, sed secundum ordinem iustitiae exigenda ad dei honorem, delinquentis emendationem, & iustitiae obseruationem, non ad propriam vltionem. Vnde qui poenam non dimittit, diligenter seipsum discutiatur, quo zelo exigat poenam, & satisfactionem

Iosue. 10. Mat. 10.

Mat. 7.

satisfactionem ab iniuriante, Vt & pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra quantum ad culpam, & poenam, A vel poenam minorationem. Porro si iniuriam passus mallet quantum in se est, etiam non exigere poenam, dummodo aliunde prodesset, non minus mereretur apud deum, quam si poenam omnino remitteret. Quod si non dimiseritis aliis culpa ad minus seu ipsam offensam, & etiam poenam quando charitas id requirit Nec pater vester qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra Vnde Apostolus, Estote (inquiens) inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & deus in Christo donauit vobis. De hoc dicta sunt plura in Mattheo. Postremo, quod subditur, qualiter sacerdotes, scribae, & seniores petierunt a Christo in qua potestate praedicta faceret, & quomodo Christus ab eis sciscitatus est, a quo fuit baptisimus Iohannis, declaratum est in Mattheo.

Ephes. 3. Mat. 7. Mat. 11.


CAPVT. XII.

Excepit illis in parabolis loqui.

ARTICVLVS. XII.

Exordio huius capituli, ponit Euangelista parabolam Christi, quam ad sacerdotes, scribas, & seniores loquutus est de vinea, per quam intelligitur synagoga. Hec autem parabola in Mattheo fuit exposita, aliqua tamen verba mutantur. Ibi enim habetur, Homo erat pater familias, qui plantauit vineam: hic dicitur, Vineam passimauit homo sed redit in idem. Nam vineam quam deus pater (significatus per hominem) plantauit, etiam pastinauit, id est, fouit & coluit, per gratiae infusionem, per praetorum custodiam, imo corporale ac spirituale alimentum contulit synagoga. Quemadmodum per Esaiam testatur, Filios enutriui, & exaltaui, Es fodit lacum Mattheus dicit, & fodit in ea torcular. Porro per lacum intelligitur receptaculum vini in torculari expressi. Vnde per lacu accipi potest repositoriu oblationum seu gazophylaciu. Cetera in Mattheo exposita sunt. De seruis enim ad agricolas diuinitus missis, Marcus loquitur singulariter, Mattheus pluraliter. Numerus autem maior, minoré includit. Et mittunt ad eum quosdam ex Phariseis, & Herodianis. Hic recitat Euangelista, quemadmodum sacerdotes, & scribae miserunt simulatores & callidos, qui animo circueundi interrogarent a Iesu, a uiceret tributum seu censum dari Imperatori, estq; loci siste expositum in Mattheo. Ibi tamé

Ibidem. Psal. 79. Mat. 21. Mat. 22.



Cap. xii.

D. Dionysij Carthusiani.

D habetur, quod pharisæi miserunt istos. Sed non est contradi-
ctio, quia & multi scribarum ac sacerdotum fuerunt pharisæi.
Secta quippe pharisæorum, de qua & sanctus Paulus se fuisse
factur, erat solennior. Et *reuerunt ad eum Sadducei* Consequenter
Euangelista commemorat, qualiter Sadducei resurrectionem & angelos esse negates atque animos hominum esse
mortales asserentes querebant à Christo, quando plures fra-
tres successiue haberent eandem uxorem, quis eorum illam ha-
biturus esset in resurrectione futura, quam ipsi non credebant
futuram, sed loquebatur sic, supponendo positionem & fi-
dem pharisæorum, futuram resurrectionem ponentium. Est
autem hic locus in Mattheo expositus. ¶ Insuper scribit san-
ctus Marcus, quomodo vnus scribarum interrogauit saluato-
rem, quod esset primum maximumque mandatum, & hec quo-
que explanata sunt in Mattheo. & quomodo ibi habetur quod
scriba iste interrogauit Christum, tentans eum: cum tamen
hic scriptum sit, quod Iesus laudauit eum dicens, Non est lon-
ge à regno dei, illic concordatum atque tractatum est.
¶ Deinceps narrat Marcus Euangelista, quemadmodum Ie-
sus interrogauit, cuius filius esset Christus, quomodo. scilicet
dixit filius Dauid, cum Dauid appelleret eum dominum suum
dicendo, Dixit dominus domino meo, sede, &c. in Mattheo
expositum est, *Et dicebat Iesus, Cauete à scribis qui uolunt in sto-*
lis ambulare, &c. Hæc omnia quæ hic dicuntur de superbia,
ambitione, auaritia, gula, & simulatione scribarum, plenius
habita atque exposita sunt in Mattheo. Et *sedens Iesus Con-*
tra gazophylacium id est, ex opposito arce seu repositorii
in quo mittebantur oblationes populi pro sustentatione mi-
nistrorum templi & conseruatione ædificij, *Aspiciebas quo-*
modo turba iactaret eis i. pecuniam quam offerebant In gazo-
phylacium Non de curiositate aspexit hoc, sed ut hæc occasio-
ne inferret sententiam doctrinalem, pro pauperum consolati-
one, & bonæ voluntatis excitatione, quæ statim ponitur.
Et multis diuites iactabant multa, id est, quilibet multum, quia (ut
dicitur) sacerdotes docebant, quod ille simpliciter plus me-
reretur, qui plus offerret. Cui uenisset autem vna uidua pauper,
misit duo minuta, quod est quadrans utpote modicum valde. Et
conuocans discipulos suos, ait illis, Amen dico uobis, quonia uidua
hæc pauper plus omnibus diuitibus misit vel omnibus simul
sumptis, vel in quoquoque eorum seorsum, Misit autem plus non
secundum

Mat. 22.

Psal. 109.

Mat. 22.

In Euangelium Marc. enarra. Arti. xiiii.

Secundum quantitatem atque valorem, sed secundum pro-
portionem & facultatem, quemadmodum inopi plus est da-
re paruum eleemosynam, quam diuiti magnam: & puero
maius est baiulare vnum vas bladi, quam viro integrum mo-
dium: unde subiungitur. *Omnes enim præter istam Ex eo quod*
abundabat illis, miserunt, id est, de superfluo oblationem fe-
cerunt, Hæc vero de penuria, id est, modica Sua tenuique sub-
stantia, Omnia quæ habuit misit, scilicet, Totum victum suum,
id est, omne id pro quo victualia emere potuit: ideo pensata
sua inopiæ proportionem ac facultatem, plus misit ac meruit,
imo absolute plus in quoquoque illorum promeruit, si ex ma-
iori charitate fecit.

B

CAPVT XIII.

Et cum egredereetur de templo, ait illi vnus ex
discipulis suis.

ARTICVLVS. XIII.

Consequenter Euangelista sanctus scribit, quæ-
admodum Christo urbem Hierusalem egre-
diente, vnus discipulorum ostendit ei ædificium
templi, & quomodo ex huius rei occasione
Christus prædixit templum Hierusalem peni-
tus destruedum, quomodo in super ex hoc dicto quatuor prin-
cipales Apostoli moti fuerunt ad interrogandum à Christo
quando templum destrueretur, & de tempore consummati-
onis seculi, quid etiam Christus ad ista responderit, quæ om-
nia satis explanata sunt in Mattheo. *Videte autem uosmetipsos*
i. proprias vires pensate, uos ipsos considerate, quid uobis agendum
atque futurum existat perpendite, & contra iacula uentura
animas uestras spiritualibus armis munite. Et in omnes gen-
tes. i. per totum mundum Primum, hoc est, antequam consum-
matio seculi ueniat. Oportet predicare euangelium, sicut
nunc factum uidemus & ante secundum Christi aduentum
plenius fiet, quando uniuersi conuertentur ad Christum pau-
cissimis Antichristi obstinatis ministris exceptis. Et cum du-
uerint uos ad iudicia uel ad mortem, seu ad consilium mali-
cij gnorum

C

C

Dignorum Tradentes, id est, homines impii taliter vos tribulationibus exponentes. Nolite *præcogitare quid loquamini, sed quod datū fuerit vobis in illa hora illud loquamini.* Non enim vos estis loquentes, sed spiritus sanctus. locus iste verque ad id. Cum autem videritis abominationē desolationis in Matthæo plenius continetur, quā hic & ibi expositus est. **I**nsuper quæ sequuntur de abominatione seu idolo desolationis à Daniele prænunciata, & de tribulationibus ac signis futurum iudicium præcessuris, scripta & elucidata sunt in Euāgelio Matthæi. Sed in illis diebus post tribulationem illam Antichristi ministrorumq; eius Sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum. Omnia ista quæ hic de propinquis signis futuri iudicii, & secundo Christi aduētū, & punctis annexis scribuntur in Matthæo, exposita sunt *Videte* oculo mentis, id est, intellectualiter atque sagaciter considerate consideranda. *Vigilate* per sollicitudinem cordis, diligentiamq; perennem, *Et orate*, sine intermissione seu congruis horis, *Nescitis enim quando tempus sit* mortis vestræ ac futuri iudicii.

Denique ad talem vigilantiam inducit Saluator per similitudinem hominis peregre proficiscentis, qui domum suam deserens deputauit vnicuique seruatorum suorum, quid interim faceret, *Et ianitori domus præcepit vt vigilet.* Per hominem istum intelligitur Christus ascendens in cœlum, quem admodum in Matthæo dictum est plenius, qui reliquit quantum ad sensibilem præsentiam, domum suam, id est, ecclesiam militantem, deditque vnicuique fideli aliquid operis, vt bene vratur

Ftalentis sibi concessis, & ianitori, id est, prælati præcepit vt vigilantè custodiant greges sibi commissos. Ianitor etenim **Ezech. 3.** est cui dominus ait per Ezechielem, Speculator è te dedi domui Israel, de cuius manu deus requirit sanguinem pereuntium, nisi cecinerit buccina, annunciando verbum dei subditis suis, & faciendo quod ait Apostolus, Prædica verbum, in ista opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia. Hoc est ergo quod ait Saluator, *Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domū suam.* Litera autem truncata est, & supple oportet hoc modo, vigilare atq; orare debetis, sicut homo qui peregre profectus, id est, Christus in cœlum eleuatus, reliquit domum suam puta ecclesiam, *Dedit seruis suis,* id est, fidelibus *Potestatem cuiusque operis,* id est, virtutem & ius aliquid operandi, secundū præcepta legis diuinæ, *Et ianitori*

Et ianitori, id est, pastori ecclesiæ *Præcepit vt vigiletur,* hoc est, sic vigilare & orare debetis, vt homo iste edocuit, & vt vigilandum est seruis, quorum dominus abiit, commissio vnicuique seruo opere, quod faciat vsque ad reditum domini sui. *Vigilate ergo, ne scitis enim quando dominus,* id est, Christus iudex Veniat ad iudicandum vos, iudicio particulari, quod sit in morte singulorum, vel iudicio vniuersali, quod erit in fine mundi, *Sero an media nocte, an gallicantu, an mane,* id est, in qua parte vestræ ætatis, vel in quo spacio temporis, Ne cum venerit, repente hoc est, subito & improiise. Inueniat vos dormientes, id est, ab opere bono torpentes seu imparatos. Si autem intelligantur hæc de futuro iudicio, tunc sermo dirigitur non ad Apostolos, sed ad fideles qui in die iudicii, vti reperientur, morientur, & mox cum aliis suscitabuntur, in quorum persona dicit Apostolus, Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiā Christo in æra. Hinc Christus subiungit, *Quod autem vobis* discipulis meis præsentibus, *Dico, omnibus dico, Vigilate,* id est, ad omnium fidelium præsentium ac futurorum cautelam & informationem annuncio, vt vniuersi vigili mente deo ministrent, semperque parati consistant, quoniam beatus seruus, quem cum venerit dominus eius, & pulsauerit ianuam, inuenerit vigilantem.

CAPVT XIII.

Erat autem pascha & Azyma post biduum.

ARTICVLVS XIII.

Ostquam Euangelista descripsit Christi prædicationem, vitam atque miracula. Hic iam describit eius passionem, per quam saluatus & viuificatus est mundus. *Erat autem pascha,* id est, paschalis festiuitas, vel esus agni pascha- **Iohā. 13.** *lis, Et azyma,* id est, manducatio panum non fermentatorum seu azymorum *Post biduum,* hoc est, post duos dies, à **Exod. 12.** die quo Christus sermonem in præcedenti capitulo comprehensum ad discipulos habuit. **Exod. 22.** *Hunc enim sermonem fecit,* **Leui. 23.** *tertiam*



Mat. 26.

Mat. 20.

Iohan. 12.

Mat. 28.

Mat. 20.

Tertia feria in hebdomada passionis, & tunc paschalis festi-
 unitas Iudeorum incepit, in vespere ferie quinte, in qua ho-
 ra ceperunt Iudaei azymis panibus vesci, & agnum pascha-
 lem tunc m. ducabant. In illa autem tertia feria, sermone fi-
 nito, praedixit Christus Apostolis se passurum, ideo Marcus
 computando tempus ab hora huius praenunciationis, ait, Er-
 rat pascha & azyma post biduum. Deniq; penultima que
 in isto & sequenti capitulis de passione saluatoris conscripta
 sunt, In Mattheo sunt tractata atq; exposita. Ibi enim inser-
 tum est de dominica passione, q; Mattheus omisit, & alii tres
 Euangelista suppleverunt, iucirco pauca hic restat dicenda,
 & quaeq; hic omittuntur, in praenotatis Matthei capitulis
 inueniuntur exposita. *Veni mulier habens alabastrum unguen-*
ti nardi spicati preciosi, id est, vas factum de alabastrum, seu mar-
more quodam plenum unguento precioso, facto siue extra-
cto de nardo habente spicas in suo cacumine. Nardus autem
est herba secundum aliquos, unde elicitor liquor refrigerati-
uus & preciosus, quem aliqui dicunt hic vocari unguentum:
 istud quoque plenius dictum est in Mattheo. Quod autem
 mulier ista fregit alabastrum quando effudit unguentum su-
 per caput Christi, Mattheus non ponit, sed Marcus. *Erant*
quidam indigne ferentes, videlicet Iudas proditor & forte al-
iqui alii discipuli incitati a Iuda. Poterat enim unguentum
vanundari plus quam trecentis denariis. Hoc auoq; Mattheus
 non exprimit, sed apud Iohannem legitur Iudas dixisse, *Qua-*
re hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum
est egenis? Et forte utrunque dixerunt, vel scriptura non
 curauit determinate exprimere valorem unguenti, seu ta-
 xam pecuniae, sed aliquid circiter. Hoc nempe est consuetudo
 scripturae. *Et fremebant in eam ex impatientia, & si alii di-*
scipuli hoc fecerunt, certum est, q; Christi responsione audi-
ta poenituerunt. Iesus autem dixit, Sinite eam, id est, in pace
eam dimittite. Prauenit ungeri corpus meum in sepulchrum i-
nunc corpori meo illud ungeri exhibuit, quod exhibere pra-
ei fuisset in sepulchro si potuisset. In sepulchro enim optabit
ungeri corpus Christi sed resurrectione illius prauecta non
potuit. Ita nanq; de Maria Magdalena dicuntur, & istud in
 Mattheo plenius fuit expositum. *Misit duos ex discipulis, di-*
centes, Dicite domino domus, Magister, id est, Christus, Dicit ti-
bi per nos, Vbi est refectio mea, id est, locus refectiois. Alii
per refec-

per refectioem intelligunt agnum paschalem, quem dicunt A
 a domino domus illius Christo donatum, sed sequentia non
 concordant. Subditur enim, *Vbi pascha cum discipulis meis m. d-*
ducentis id est, in quo loco comeda agnum paschalem, unde de
loco subiungitur. Et ipse demonstrabit vobis coenaculum gran-
de stratum. In isto coenaculo magno latebant Apostoli, post
 Christi resurrectionem, videlicet in conclau, in quo & spiri-
 tum sanctum receperunt. *Vespere autem facto, venit cu duode-*
cim. Secundum Lucam, duo discipuli ad parandum pascha
misi fuerunt, Petrus & Iohannes. Quomodo ergo Chri-
stus venit cum duodecim, nisi duo discipuli isti dicantur do-
mino obuiaisse & secum intrasse, vel loquitur per synecdochem?
 Amen dico tibi O Petre, *Quia tu hodie, id est, die hoc non ar-*
tificiali, sed naturali, subditur enim, In hac nocte quae est
 pars dei naturalis *Prusquam Gallus bis vocem dederit, ter me es*
negaturus. Quomodo hoc concordet cu verbis alioru Euan-
gelistarum, Antequam gallus canter, ter me negabis, expo-
 situm est in Mattheo. *Cepit pauere & cadere, id est, natura-*
 lem hortorem & fugam, siue fastidium mortis habere, in par-
 te animi inferiori, non tamen inordinate, vt dictum est ple-
 nius in Mattheo. *Tenete eum, & ducite caute. Hoc tradit-*
 or dixit, ne Iesus sua industria elaboretur e manibus mini-
 strorum, vel ne aliquis raperet eum de manu eorum. *Adole-*
scens autem quidam sequebatur eum, scilicet Christum iam co-
 prehensum. *Amictus syndone, id est, veste alba ac linea Su-*
 per nudo corpore, non habens aliud vestimentum. Iste credit
 fuisse Iohannes Euangelista, tamen aliqui asserunt, quod
 fuit Iacobus minor. De hoc plenius dictum est in Mattheo.
Petrus autem a longe secutus est eum, Iohannes habet, q; Pe-
 trus secutus est eu & alius discipulus, qui erat notus pontifi-
 ci, per quem Iohannes intelligitur secundum expositores co-
 muniter. Si ergo praefatus adolescens fuit Iohannes, oportet
 dicere, q; Iohannes post fugam & syndonis suae religionem,
 reuersus est denuo, recuperataque syndone cum Petro a lo-
 ge secutus est Iesum. *Capit Petrus Anathematiizare, hoc*
 est, seipsum maledicto astringere, & cum execratione asse-
 rere, *Et iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis, id est,*
 non agnosco hunc Iesum.

Acto. 1.
Luca. 22.

Mat. 26.

Mat. 26.
Iohan. 12.

Expo.



Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, &c.

ARTICVLVS. XV.

Consequenter Euangelista ostendit quo modo ordine principales Iudæorum procurauerunt Christi occisionem à præside gentili, eiusq; ministris. Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cū senioribus & scribis & vniuerso consilio. i. cunctis consulibus atque concilii assessoribus Vincientes, id est, ligantes Iesum, duxerunt eum, & tradiderunt Pilato. Porro q̄ ait, vincientes Iesum, non esse sic intelligendum, q̄ tunc primo eum vinxerunt, imò quando comprehenderunt eum, ligauerunt eum, vt haberet Iohannes, sed & Annas misit Iesum vinctum ad Caipham. Quod ergo nunc dicitur vincientes Iesum, intelligendum est, vel q̄ fortius vel inhonestius ligauerunt eum, cum eum ad Pilatum ducere voluerunt, forsitan manibus retro ligatis, vel quòd ad horam dissoluerunt eum, quando mane factò duxerunt eum in suum concilium, vt Lucas habet. Et cum ascendisset turba, id est, plebs Iudæorū accessisset Pilatum Cœpit hæc turba Rogare Pilatum Sicut semper faciebat illis, id est, vt hæc festiuitate paschali, dimitteret eis vinctum sicut quolibet anno fecit instante paschali solennitate. Procurauerunt namque Iudæi ab Imperatore Romano, vt hoc fieret eis, in commemorationem liberationis patrum suorum ex Aegypto. Et angariauerunt quempiam præteuentem, id est, quendam per viam illam transeuntem, timore & minis compulerunt, videlicet, Symonem Cyrenæum, id est, Cyrenensem, & à loco qui dicitur Cyrene, appellatum, vel quoniam inde exitit oriundus, vel ob simile causam. Venientem de villa forsitan versus Hierusalem, ita quòd obuiauerit Christo egrediēti Patrem Alexandri & Rusi qui erāt discipuli Christi secundum Hieronymum, propter quòd pater eorum nominatim exprimitur. Vt tolleret crucem eius quod fecerunt crudelissimi illi, non quòd Christo propriam crucem baiulanti ac lassò compareretur, sed ex nimia crudelitate timentes, ne Iesus sub onere crucis succumberet & antequam crucifigeretur, obiret. Dabant ei bibere vinum myrrhatum, id est, myrrham que amarissima est, mixtam vino & felle. Et non accepit multum de potu huiusmodi, parum ramen accepit de eo, dicente Iohanne, Cum accepisset acetum, dixit, Consummatum. Vnde in Mattheo legitur,

gitur, Et cum gustasset noluit bibere Erat autē hora tertia, & crucifixerunt eum huic repugnare videtur, quòd Iohannes ait, Mat. 17. Pilatum sedisse pro tribunali, hora fere sexta, & secundū a Iohan. 19. Ilios Euangelistas Christus crucifixus est hora sexta. Secundum Augustinū, ad hoc dupliciter respondetur. Primò secundum Augustinum, q̄ Marcus asserens Christum hora tertia crucifixum, aspexit & retulit hoc ad animos Iudæorum, qui volebāt quasi immunes videri à morte Christi, ppter quod tradiderūt eū Pilato. Hinc enim in actibus leguntur dixisse Apostolis, vultis super nos inducere sanguinē hominis huius quoniam ergo Iudæi hora tertia clamauerunt, Tolle, crucifige, idcirco Marcus testatur Christum hora tertia crucifixum, videlicet linguis & machinamentis Iudeorum. Secundo, dicendum, secundum alios q̄ Christus crucifixus est intra tertiā, & sextam, ideo interdum legitur, hora tertia, interdum hora sexta crucifixus. Medium enim nomine vtriusq; extremi exprimi solet, Et qui cum eo crucifixi erant puta latrones, in quorum medio pendeat pretium mundi, sanctus sanctorum, filius dei Conuiciabantur, id est, crimen sibi imponebāt & improperebant ei dicendo, Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Hoc ideo dicitur, vel quia primo ambo conuiciabantur ei, quauis vnus eorum postmodum sit conuersus visis mirabilibus que fiebāt, & visa patientia Christi, vel eo modo loquēdi quòd societas dicitur facere id quod facit pars eius, Curres autem vnus gentilium improperebant Christo, videtur enim fuisse de seruis Pilati, quia nō intellexit verbū Christi clamantis, Heli Heli, &c. quod fuit Hebræum, & à Iudæis intelligebatur Et impletis spōgiam aceto, potum dabat ei, dicens, Sinite, id est, sustinete Videamus si veniat Helias ad deponendum eum Putabant quippe quòd Iesus dicendo Heloi, Heloi, inuocasset Heliam. Sed quæratur quomodo hic scriptum sit, q̄ iste offerēs Christo acetum, dixit, Sinite, Videamus si veniat Helias, &c. Cum in Mattheo alij referatur dixisse ad istū, sine, videamus &c. Dicendum quòd fieri potuit vt alij primo hoc dicerēt insultando. Deinde iste verba illo rum repeteret, cum Christi irrisione. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, hoc est, ex opposito crucis custodiens Iesum donec decederet, Quia sic clamans expirasset dicendo alta voce, Pater in manus tuas cōmendo spiritum meū, At Verē hic homo filius dei erat Considerauit enim Cetero clamorem



Mat. 27.

Iohan. 9.

Mat. 25.

Mat. 27.

morem illum, non fuisse naturalem vel humanum, sed diuina virtute formatu, presertim cum alij instanti separatione animae a corpore tantae sint debilitatis, vt vix exigua valeant producere vocē. Quauis autem Iesus sit naturalis filius dei non adoptiuus, non tamen probabile est, qd Ceterio homo gentilis intellexit propria verba de naturali filiatione. Non enim cognouit filiu dei esse verum deum & vnu cum patre, sed dixit Iesum esse filiu dei quasi homine singulariter sanctum: vel dixit verba illa, ad confirmandu verba Christi, cui obiecerunt Iudaei qd fecisset se filium dei. Et cum sero esset factu, quia erat parascue, quod est ante sabbatu, id est, dies preparationis dupliciu ferulorum, videlicet pro die illo, & pro die sequenti seu sabbato, qui ita solenis fuit, quod non licuit Iudaeis preparare escas in eo. Secundum Bedam, parascue est nomen graecum, & interpretatur preparatio, quia (vt dictu est) in eo preparabatur Iudaei cibaria pro feria sexta & sabbato. Hoc autem nomen habuerunt Iudaei a Graecis, qui inter eos conuersabantur. Venit Ioseph ab arimathia nobilis decurio, id est, vnus de curialibus Et audacter, id est, sine timore Iudaeorum Introiit ad pilatum & petiit corpus Iesu. Iam enim roboratus fuit in fide, visis quae in Christi passione ac obitu acciderant. Ideo quauis ante fuisset occultus Christi discipulus, nunc tamen manifestauit quod fuit. Pilatus autem mirabatur si iam obisset, id est, an Christus tam cito extinctus fuisset. Non enim pensauit Pilatus, quanta tormenta intulerunt Christo Iudaei in nocte, & milites in pretorio, in columna, in cruce perforantes manus ac pedes eius Denique quae sequuntur, & quae iam omissa sunt, copiose tractata & explanata sunt in Mattheo.

CAPVT XVI.

Et cum transisset sabbatum Maria Magdalena, &c.
ARTICVLVS. XVI.

Luc. 24.

Iohan. 20.

ibidem.

Excitata saluatoris viuifica passione, consequenter describitur resurrectio eius gloriosa Et cum transisset sabbatum, id est, dies sabbati, qui fuit sollemnissimus ad occasum venisset, Maria Magdalena, & Maria Iacobi mater, Et salome, emerunt aromata, quae non poterant emere die sabbati perdurante, sed vespere facto, in quo solenitatis magnitudo finiebat, Et venientes vnguerunt Iesum id est, Corpus Iesu, ponendo totum pro parte, partem pro toto. Et

valde mane vna sabbatorum, id est vno dierum illius hebdomadae paschalis, cuius omnes dies, dicebantur sabbata, quia festiui. Itaque, vna sabbatorum, id est, prima die post principale sabbatum, Veniunt ad monumentum, orto iam sole. In Iohanne legitur, quod Maria venit ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent. Et respondendum, quod fuit aurora, ita quod aliquid lucis & aliquid tenebrarum apparuit. In superioribus enim locis videbatur lux solis in inferioribus tenebrae erant. Ideo dicit Iohannes, quod tenebrae erant, marcus, quod sol fuit ortus, nam medium ab vtroque extremo denominatur, Et dicebant adinuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? id est, a loco vbi superpositus fuit la- pis corpori Christi, qui de sepulchro clauso surrexit. Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem, quem angelus amouit post Christi resurrectionem, vt ostenderet sepulchrum esse vacuum, & Christum resuscitatum. Erat quippe magnus valde idcirco mulieres merito quaerebant, quis eis lapide tantum deponeret: quasi dicerent, nos cum amouere non possumus. Et introeuntes in monumentum, id est, in domunculam, in qua fuit sepulchrum. Viderunt iuuenem, id est, angelum in specie adolescentis. Sedentem a dextris, id est, in dextera parte sepulchri Matthaeus dicit, qd angelus accedens, reuoluit lapidem & sedebat super eum, Vnde elicitur qd lapidis in dexteram partem iacebat. Merito autem angeli sancti in forma iuuenili apparent, quonia inde sunt & illam vitam annuntiant vbi nullus senescit, sed sempiterna iuuentus consistit, in mesu aetatis plenitudinis Christi. Recte quoq; sedet in dextris, qui prospera venerat nuntiare, & consolatione aeternam cum suis fidelibus exhibere, Coopertum stola candida, id est, alba ac fulgida veste indutu. Scriptum est enim apud Matth. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Apparuit ergo in splendida veste. Primo, ad designandu angelicae puritatis splendorem ac sanctitatem. Secundo, quonia nuntius fuit verae lucis, & cuius supernae claritatis. Tertio, vt vestis suae candore foeminas sanctas mulceret. Deniq; in Iohanne legitur, qd cum Maria se inclinasset, & in monumentu prospexisset, vidit duos angelos, vnu ad caput & vnum ad pedes, vbi positu fuit corpus Iesu. Similiter in Luca scriptu est qd cum mulieres animo costernatae esset duo viri steterunt iuxta eas in veste fulgenti. i. duo angeli in forma virorum. Propterea

Mat. 28.

B

Eph. 4.

C

Mat. 28.

Tob. 12.

Iohan. 20.

Luc. 24.

allertit



D. asseruit Augustinus, quodd ibi apparuerunt tres angeli, duo videlicet in loco ipsius sepulchri seu intra sepulchrum, & vnus extra sepulchrum, sed intra domunculam in qua fuit sepulchrum, *Es obstupuerunt*, id est vehementer mirata atq; exterrita sunt propter fulgurem angeli vultum terribilem valde *Et dicit illis, Nolite expauescere.* ¶ Hoc angelis proprium est, vt quauis primo suo apparatu terrore concutiatur homines, mox tamē cōsolentur ac roborent eos, dūmodo digni sint. Iesum, id est, saluatorem *Quertis*, hoc est corpus Iesu, putantes Iesum adhuc mortuum esse, *Nazarenum crucifixū, surrexit, nō est hic*, secundum humanam naturam, qui secundum diuinitatem suam implet cœlum & terram. *Eccē locus vbi posuerunt eum* Ioseph & Nicodemus, vt locum esse vacuū cōspiciētes, certā sitis quodd resurrexit. *Sed ite dicit discipulis eius, & Petro.* Specialiter nominat Petrum, vel quia inter discipulos principalis vel potius vt detur ei fiducia venie atque audacia veniendi inter discipulos, *Quia præcedet vos in Galilaam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis*, Ista exposita sunt in Matthæo, *Asilla mulieres exeuntes domunculam sepulchri, Fugerunt de monumento, cuius ratio subditur. Inuaserunt enim eas tremor corporis Et pauor mentis, Et nemini, id est, nulli præsentium, scilicet nulli de custodibus illie iacentibus, vt dictum est in Matthæo, Quicquam dixerunt* Timebāt enim non solum ex angeli apparitione, sed etiam ex intuitu militum qui ibi tanquam mortui iacebant prostrati. *Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Maria Magdalena* Ex hoc sequi videtur, quodd Iesus surrexit in aurora, vt Augustinus affirmat: Gregorius tamē asserit, qd surrexit media nocte: quemadmodum Sampson, qui fuit figura Christi, media nocte surrexit, & portas Gaze apportauit. Sicq; quodd dicitur, mane non determinat participium surgens sed verbum apparuit vt sit sensus, Surgens Iesus, id est, Iesus qui surrexit, apparuit mane prima sabbati. Primum tamen magis videtur cōsonū textui. Itaque surgēs Iesus à sepulchro in quo anima eius fuerat corporei reunita, mane, id est in aurora prima sabbati, id est, die immediate sabbatū subsequente. Iudei nanque denomināt dies septimana à sabbato, quā à principaliori dicendo, prima sabbati, secunda sabbati, tertia sabbati. *Apparuit primo Maria Magdalena, de qua eiecerat septem demonia*, id est, vniuersa peccata mortalia. Septenario quippe

Johann. 19.

Mat. 28.

Iadic. 16.

Luc. 8.

pe vniuersitas designatur. De hac apparitione dictum est *co A* piofus in Matth. *illa radens nūtiavit his, qui cum eo fuerant, id est, cum Iesu ante passionem conuersabantur, puta discipulis, Lugensibus & flentibus*, ideo appellatur apostolorum *Matt. 28.* postola Et sicut à prima muliere Eua cepit, & propinata *Gene. 3.* est viro eius, & omnibus posteris suis, damnatio: sic mulier ista primo nuntiavit hominibus saluationē, quæ est in Christo. *Et illi audientes quia uiueret Iesus, & visus esset ab ea, non crediderunt.* Post hæc autem duobus ex eis id est, duobus discipulis, quorum vnus dictus est Cleophas, *Ambulantibus in villa ostensus est* id est, seipsum ostendit atque apparuit dominus Iesus. *In alia effigie* id est, alia faciei dispositione, physiōnomia seu specie, *Euntibus in villam* in qua fuit castellū nomine Emaus. Ista apparitio facta est in die dominicæ resurrectionis, & in Luca descripta est plenius. Quomodo autem facta est ista alteritas effigiei, nō est facile determinare, videlicet in quo subiectiue fuit ista effigies altera: an solum in oculis discipulorum, an in aëre, an in corpore Christi apparentis in habitu peregrini. Vnde discipuli, Tu solus (inquiunt) peregrinus es, & Corpus autem Christi glorificatum tunc fuit, vnde non videtur in ipso fuisse effigies alia. Aliqui tamen dicunt, quodd Christus ad horam mutauit faciem suam, quemadmodum in trāfiguratione. Alij probabilius dicunt, quodd mutatio hæc fuit duntaxat in oculis discipulorum. Quoniam in Luca habetur, quodd oculi eorū tenebantur, ne eum agnoscerent, sicque videtur fuisse percussis auribus, quemadmodum Syri quærentes Heliseum, & Sodomite quærentes domum Loth, quodd sua incredulitate meruerunt. Sicut enim discipuli nō rectè senserunt de Iesu: sic ipse nō ostendit se eis qualis fuit. *Et illi euntes* id est, eadem hora in Hierusalem redeuntes, *Nuntiauerunt cæteris* id est, vndecim apostolis intra conclaue collectis, *Et his qui cum ipsis tunc erant* quomodo Iesus eis apparuisset, eumque in fractione panis cognouissent, *Nec illis crediderunt.* ¶ Oppositū videtur, quoniam Lucas habet quodd ipsi duo inuenerunt vndecim congregatos, & eos qui cū ipsis erant, dicentes quodd surrexit dominus verè, & apparuit Simoni. Et respondendum, quodd imperfecte credebāt dubitatione quadā seu nuratione mentis annexa. Vnde post pauca Lucas illis subiūgit. Adhuc illis non credentibus & miratib⁹ præ gaudio, &c. *Nonissime* d id est,

Matt. 28.

Gene. 3.

B

Luc. 24.

Mat. 27.


Luc. 24.

C

4. Reg. 6.

Gene. 13.

Luc. 24.



Did est, in die ascensionis, vt probabilius estimatur. Recēbentibus id est manducantibus. Illis vndecim apostolis apparuit Iesus in conclauis seu cenaculo, quo pascha edebant. Et quāuis Marcus non exprimat nisi vndecim tanquam principales discipulos, nihilominus (vt aliqui dicunt) ibi tunc erant alij multi viri & fœminæ, in quorum conspectu Christus eodē die ascendit: erantque circiter centum viginti secundū Lucam, vt ex apostolorum actis colligitur. Sed si istud intelligendum est de apparitione hac facta in conclauis, quomodo Marcus dicit, de ea, quod Christus nouissime apparuit, cum postmodū eadem die in monte Oliueti apparuerit eis? Et respondendum. Primò, quod sic intelligi potest, Nouissime, id est, vltimo die quo inter discipulos conuersabatur in terra post resurrectionē. Siquidē per dies quadraginta apparuit eis saepe, quorum dierum vltimus fuit iste. Vel quod dicitur nouissime, referendum est non ad tēpus apparitionis, sed ad apparitiones præcedentes. Apparuit ergo recēbentibus, & comedit cum eis, & docuit eos, iuxta illud, Conuescēs præcepit eis ab Hierosolymis ne discederēt, sed expectarēt promissionē patris factam de missione spiritus sancti. Tunc quoque discipuli interrogauerunt eum, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Et exprobrauit id est, cum iusta ac dira impropereatione redarguit, *Incredulitatem illorum & duritiam cordis* Verba autē seu forma exprobrationis nō ponitur hic, sed forsitan talis erat quomodo duobus discipulis in Emaus euntibus dixit Ostulti & tardi corde ad credendum Quia his qui viderant eum resurrexisse id est, qui Christū post resurrectionem viderunt vt mulieres, & Petrus ac duo discipuli. Vel, his qui viderant eum resurrexisse, id est eius resurrectionem viderunt, & ei assuerunt, videlicet angelis sanctis, Non crediderunt. Ita intelligit S. Bernardus. Apostoli enim non credendo mulieribus quæ angelos viderunt eorumque verba apostolis nuntiauerunt, non crediderunt angelis ipsis. Sed quomodo Christus increpauit Apostolos de incredulitate & cordis duritia in die ascensionis, quando vtique crediderunt & deuoti valde fuerunt? Dicendum, quod increpauit eos de præcedēte incredulitate atque duritia, & forte quia adhuc non satis creduli erant. Aliqui verò dicunt quod non increpauit Apostolos, sed quosdam discipulos congregatos cum eis, Sed Euangelista apertissime dicit, quod apparuit

Ibidem.

Lucæ. 24.

Mat. 10.

paruit vndecim, exprobrauitque incredulitatē illorum & duritiam cordis. Et dixit eis, Euntes in mundum vniuersum nō sicut Psal. 18. tim post ascensionem vel spiritus sancti receptionem, sed in die diuisionis apostolorū. Itaque, euntes separatim & successiue, in mundum vniuersum, id est, ad principales partes mundi, *Predicete Euangelium omni creature* i omni homini. Homo enim dicitur omnis creatura nō formaliter aut substantialiter, sed virtualiter, & per conuenientiā, quia cum omni creatura habet aliquid commune, & omnes differētię rerum seu cuncta generentium in ipso concurrunt. Constat enim ex materiali & immateriali substantia, habetque in se accidentia sensibilia, & insensibilia: omnia quoque quodāmodo ordinantur ad hominē. Vnde de hoc quod Sapiens ait, Hoc quod cōtinet omnia, scientiā habet vocis, vno modo exponitur de homine. Nam & anima rationalis continet in se omnes formas inferiores, quemadmodum numerus maior minorem, & tetragonum trigonū, & insuper cōuenientiā habet cū angelis in intellectuali perfectione, corpus quoque humanū cōtinet elementa, & ad cæliformem æqualitatem reducit secundum philosophos. Qui crediderit fide formata seu dilectione ornata, & cū oportunitas adest, per dilectionē operāte. Qui enim dicit se deū cognoscere, & madata ei nō custodit mendax est. Et fides sine operibus mortua est. Et baptizatus fuerit baptismo fluminis, fluminis, vel sanguinis, Nō enim sufficit fides sine baptismo, si adsit possibilitas suscipiendi baptismum: quæ si defuerit, debet homo habere propositum & affectum recipiendi ipsum, & de præterita negligentia pœnitere, si distulit, quando recipere potuit, *Saluus erit*, in præsentem per gratiam, & in futuro, per gloriam, modo in spe, & tunc in re. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quoniam sine fide impossibile est placere deo, quicquid fecerit vel habuerit homo. Nam iustus ex fide viuit, & quicquid non est ex fide, peccatum est, secundum apostolum. Signa autem id est, miracula quibus fides probatur esse à deo, quæ naturali nequit ratione probari. Cum enim deus esse non valet testis falsitatis, aut confirmator erroris, constat illam fidem esse diuinam, ad cuius confirmationem deus tanta operatus est signa, quorum multa omnem creatam potestatem excedunt. Itaque, *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur*, id est, virtus & gratia faciendi signa sequentia

Sapien. 1.

B

1. Ioh. 2.


Iaco. 2.

C

Hebr. 11.

Heb. 10.

d ij tia,



Dia, eis præstabitur. Non est autem absolute de vniuersis fidelibus intelligendum, sed de quibusdam, præsertim in exordio nascentis ecclesiæ, & etiam interim vsque in presentem diem, secundum diuinæ sapientiæ ordinatissimum moderamē & necessitatem seu vtilitatem ecclesiæ, de quibus dominus, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. *In nomine meo*, id est, in mea potestate, & per inuocationem nominis mei, *Dæmonia eiiciunt* ab obsessis corporibus, imò in actis scriptum, & ad contactum vestium Pauli, spiritus nequam egrediebantur, *Linguis loquentur nouis*, id est, recentibus atq; diuersis loquelis vtentur, vt patet in apostolis, qui recepto spiritu sancto, cœperunt loqui variis & omnium gētium linguis, quæ etiam gratia data est aliis penè innumeris, in primitiua ecclesia, aliter non potuissent Euangelium prædicare, in tam diuersis atque distantibus locis, *Serpentes tollent*, id est, calcabunt, occident siue portabunt, quemadmodū Paulus viperam manu sua apprehendens excussit in ignem. Nominē autem serpentum reliqua venenosa aminantia intelliguntur, quemadmodum scriptum est, Super aspidem & basilicum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Hoc quoque Saluator promisit, Ecce (inquiens) dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. *Et si mortiferum quid biberint, non eos nocebit.* Quemadmodum pater in Iohanne Apostolo, *Super egros manus imponent, & bene habebunt*, id est, sanabuntur. Liberalis atque magnifici promissionis est, plus conferre quàm promisit. Sic Christus multa maiora per apostolos, multosque alios fecit, quàm sint ea quæ hic recitantur, præsertim cum ad vmbra Petri legantur infirmi fuisse sanati. Porro in actis scribitur, Virtutes non modicas fecit deus per man^u Pauli, ita vt à corpore eius deferrentur super languidos sudaria vel similia, & recedebant ab eis languores. Hæc igitur signa corporaliter quidē ab aliquibus comparatiue paucis facta noscuntur, nec opus est enunciterari, cum in suo effectu satis resplēdeant. Quid equidem ita mirabile sicut conuersio totius mundi ad tam incōprehensibilem ac arduam legem? Spiritualiter verò à multis multoties facta sunt, & quotidie fiunt. Spiritualiter nanque dæmonia eiicit, qui peccatorem mortalibus vitiis irretitum conuertit,

Acto. 2.

Acto. 28.

Psal. 90.

Luc. 10.

Actu. 5.

Actu. 29.

F

conuertit, ita vt sit tēplum spiritus sancti, qui paulo ante vas erat diaboli. Nouis in super linguis loquitur, qui solita veriora quia, scurrilia, vitiosaq; verba deuittans, incipit loqui salutaria verba, deum laudare, proximum informare, iugiterque orare, quæ admodum monet Apostolus, Implemini (inquiens) spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordib⁹ vestris, domino gratias agentes pro omnibus semper: hoc fecit qui ait, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et alius, Laudabo (ait) nomen tuum assidue, & confitebor tibi cum adhuc iunior sum, antequam oberrem. Serpentes autem tollit, qui diabolicas suggestiones, & venenatas tētationes suppediat. Mortiferum verò sine nocumēto bibit, cui omnia etiā mala cooperatur in bonum, vel quia aliorum prauis exemplis non inficitur, nec peruertitur cum peruersis. Super ægros autem manus imponit, & sanat eosdem, qui pusillanimes & imperfectos bonis operibus roborat, verbo consolationis sustentat, & suis exemplis prouocat ad meliora ac viciniora salutis. *Et dominus quidē Iesus postquæ locutus est eis*, verba prædicta, & alia plura quæ scripta sunt in actis, *Assumptus est in cælum*, id est, propria virtute ascendit ad cælum empyreum. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, de quo ait Psalmista, Psallite domino qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Itemque, Ascendit deus in iubilo, dominus in voce tubæ. Deniq; Christus ascendit non solum diuina virtute, sed & humana per dotem agilitatis. Corpus nanque glorificatum obedit ad nutū voluntati atque imperio animæ. In Luca scriptum est, quòd Iesus eduxit eos qui erant in conclauis foras in Bethaniam, & eleuatis manibus, benedixit eis ac ferebatur in cælum. Sed & in Actis habetur, quòd videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri asiterunt iuxta illos in vestibus albis, &c. Hæc autem nubes & angeli apparentes atque cum Christo ascendentes, non affuerunt propter Christi indigentiam sed reuerentiam, ad demonstrandum, quòd ecclesia, & inferiora, corporalia ac spiritualia ad Christi obsequium essent parata, *Et sedet à dextris dei* secundum humanitatem assumptam, sedet à dextris dei, id est, in potioribus bonis patris, de quib⁹ ait propheta, Delectationes in dextera tua

A

Ephe. 6.
Psal. 33.

Rom. 8.
B
Psal. 117.
Esa. 35.

C

Acto. 1.

Psal. 35.
Psal. 8.
Hbr. 1.

Dora tua vsque in finem. Omnia enim creata subdita sunt Christo homini & eius humanitati & anima Christi perfectissime fruitur increatis diuitiis, summæ trinitatis. Præterea, secundum diuinitatem suam sedet à dextris dei, id est, ad patris æqualitatem, quam quo vnus deus est, sedens non corporaliter secundum quod deus, sed sedet, id est, omnipotenter quiescit & regnat. Hinc Dauid prædixit, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Et Christus, Ego (inquit) vici & sedi cum patre meo in throno eius. Illi autem apostoli Profecti in omnem terram, secundum dispositionem diuinam, Prædicauerunt vbique, id est, in principalibus partibus orbis, quemadmodum Christus legitur eis dixisse, Eritis mihi testes in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Prædicauerunt ergo vbique, videlicet Petrus in Italia, Paulus, in Græcia, Andreas in Achaia, Iohannes in Asia, Iacobus maior in Hispania, Philippus in Scythia, Bartholomæus in Armenia, Matthæus in Aethiopia, Thomas in India, Iacobus minor in Hierusalem, Simon & Thaddæus in Aegypto & Babylonia, Matthias in Iudæa, *Domino cooperante*, qui omnia opera nostra operatur in nobis, secundum Esaiam, Qui operatur in nobis, & velle & perficere, pro bona voluntate, Et sermonem euangelicæ prædicationis, *Confirmante*, id est, verum esse monstrante, *Sequentibus signis*, quæ fecit per sanctos apostolos. Vnde dicit apostolus, Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestare deo, signis & potentis & virtutibus, & spiritus sancti distributionibus? Et rursus, Sermo meus & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute dei, cuius testimonia credibilia facta sunt nimis. Nam quanto catholica fides in seipsa incõprehensibilior, mirabiliorque consistit, tanto diuinitus approbata & confirmata est signis pluribus atque maioribus, vt simus semper immobiles in fidei veritate, ad laudem & reuerentiam creatoris ac saluatoris nostri qui est super omnia deus sublimis & benedictus. Amen.

¶ Finis Euangelij secundum Marcum,



Psal. 109.

Apoc. 3.

Acto. 1.

Esa. 26.

Philip. 2.

Hebr. 1.

1. Cor. 2.

Psal. 91.

1. Cor. 15.

Colo. 1.



